

Google

WADDINGTON
DE HUBERT LANGUETI
VITA

DE
HUBERTI LANGUETI
VITA

(1518-81)

PAR

ALBERT WADDINGTON

MAÎTRE DE CONFÉRENCES A LA FACULTÉ DES LETTRES DE LYON
ANCIEN ÉLÈVE DE LA FACULTÉ DES LETTRES DE PARIS

PARIS
ERNEST LEROUX, ÉDITEUR
28, RUE BONAPARTE, 28

1888

DE
HUBERTI LANGUETI
VITA
(1518-81)

DE
HUBERTI LANGUETI
VITA

(1518-81)

PAR

ALBERT WADDINGTON

MAÎTRE DE CONFÉRENCES A LA FACULTÉ DES LETTRES DE LYON
ANCIEN ÉLÈVE DE LA FACULTÉ DES LETTRES DE PARIS



PARIS
ERNEST LEROUX, ÉDITEUR
28, RUE BONAPARTE, 28

1888

CARISSIMO PATRI

PROŒMIUM

Inter praestantissimos saeculi sexti decimi viros Hubertus Languetus eminet; idem tamen saepius prorsus negligitur (1). Eum enim plerique, ut inclyti libelli auctorem tantummodo noverunt, quem cum Hotomanno, Bodino, La Boetie et aliis libellorum scriptoribus comparant; at utrum Languetus « Vindicias contra Tyrannos » vere composuerit, necne, adhuc omnino incertum esse puto. Vita autem ipsa Langueti digna mihi videtur, quae peculiari studio illustretur, cum ille, vir haud ignobilis, ob doctrinam, eruditionem, et rerum humanarum peritiam apud aequales posterosque celebratus fuerit. Gallica gente ortus, cum dubium animum ad Reformatorum praecepta convertisset, propter religionem, patriam relinquere coactus est, ne vitae periculum quotidie iniret; itaque variis doctisque studiis in Gallia et Italia informatus, ad Melanchthonem Wittebergam se recepit, et in evangelica fide tanquam in securo portu conquievit; deinde, postquam et longis per totam Europam peregrinationibus et virorum ejus temporis clarissimorum commercio sese ad publica negotia gerenda paravit, ab Electore Saxoniae quasi explorator et legatus ad diversos reges aut principes missus est, ut quaecumque relatione digna occurrerent, per litteras sine intermissione narraret. Impetrata ab Electore, anno 1577, di-

(1) Ex. gr. Langueti in « *Theatro virorum eruditione clarorum* », a Frehero composito, ne nomine quidem mentio facta est. Noribergae, 1688, 1 vol. in fol.

missione, nihilominus ei usque ad mortem scribere non desiit, sive apud principem J. Casimirum, sive apud Gulielmum Arausionensem haereret. Ita Languetus praecipuis hujus aetatis eventibus adfuit, quos quidem et diligenter inspexit et perspicacissime interpretatus est. Inter annos 1560-81, nobis ut sapientissimus testis apparet, qui Galliae civilia bella, Imperii germanici turbas, Polonicos tumultus, magnum denique certamen in Belgio pro libertate susceptum, optime et accurate exposuit. Ejusdem epistolae ad Electorem Saxoniae tantam exprimere prudentiam visae sunt, ut sequenti aetate, sub titulo editae sint : « Arcana XVI saeculi »; nempe ad illius saeculi historiam scribendam tantum proficere tunc videbantur, quantum hodie Venetorum legatorum relationes! In Langueti enim epistolis fere nihil deest, cum res sacrae et profanae, in pace et in bello, clam aut palam gestae, ibi narrentur, nihil denique non referatur, quod vir solers et industrius a maximis tum rerum publicarum administris posset explorare (1).

Duo praecipue auctores olim Langueti vitam describendam sibi proposuerunt : Philibertus scilicet Marrius (de la Mare), Divionensis (2), et d'Hozier in libro qui inscribitur : « *Armorial général de la France* » (3); sed neuter totam amplexus est materiam. Nostra deinde aetate, Henricus Chevreul (4), vir quidem eruditissimus, et omnium rerum ad Languetorum gentem pertinentium peritissimus, I. Blasel (5), et O. Scholz (6), eumdem persecuti sunt finem; quos et ipsos nonnulla fugerunt, cum ille documenta per novissimos annos publicata aut etiam adhuc inedita non noverit, alii vero aliquot tantum Langueti vitae tempora illustraverint. Mihi igitur operae pretium esse visum

(1) Cf. *Arcanorum* prooemium.

(2) « *Huberti Langueti vita* ». Halle, 1700, in-18.

(3) 10 vol. in fol. 1738-68. T. II, p. 5-73.

(4) « *Étude sur le* XVI[e] *siecle :* HUBERT LANGUET », in-8°. Paris, 2[e] édition, 1856.

(5) « HUBERT LANGUET » (1[er] Theil). *Historische Dissertation.* Oppeln, 1872, in-8°.

(6) « HUBERT LANGUET, *als Kursæchsicher Berichterstatter und Gesandter in « Frankreich, wæhrend der Jahre,* 1560-72 ». Halle, 1875, in-8°.

est, tenebris quibus multa adhuc in Langueti vita obscurantur, quantum licebit, discussis, novisque fontibus adhibitis, expendere quid prudentissimus iste vir, et in rebus publicis versatus praestiterit, et ad suae aetatis historiam contulerit.

Inter praecipuos fontes, quibus ad Langueti vitae narrationem usus sum, notandae sunt imprimis epistolae ipsius nec non multorum aequalium, ut Melanchthonis, Peuceri, Camerariorum, etc. Epistolae autem Huberti Langueti, quotquot in publicum editae sunt, hosce titulos prae se ferunt :

1° « *Huberti Langueti epistolae politicae et historicae,* « *scriptae quondam ad illustrem et generosum Dominum,* « *Philippum Sidnaeum, equitem Anglum, illustrissimi Pro-* « *Regis Hiberniae filium, Vlissingensem gubernatorem for-* « *tissimum* ». Primo Francofurti (1633), deinde Lugduni Batavorum (1646) et Londini (1776) editae; omnes, in hoc libro, secundum anni 1646 editionem citantur loci.

2° « *Viri clari Huberti Langueti Burgundi ad Joachimum* « *Camerarium patrem, et Joachimum Camerarium filium,* « *medicum, scriptae epistolae, ob res politicas et historicas* « *memorabiles, lectu utilissimae* », primum editae a Ludovico Camerario — Groningae, 1646, in-16. In eodem volumine, sunt 4 epistolae Langueti ad Fabianum a Dohna, et 1 ad Martinum Berzevicium. Qua editione semper usus sum. Altera autem earumdem epistolarum editio, quibusdam ad Electorem Saxoniae litteris aucta, anno 1685, Lipsiae data est.

3° « *Arcana saeculi sexti decimi : Huberti Langueti legati,* « *dum viveret, et consiliarii saxonici epistolae secretae ad* « *principem suum, Augustum, Saxoniae ducem* ». — Halle, 1699, in-4°. A P. Ludovico (Ludwig) edita. Is maximi momenti fons est (1).

4° « *Decades tres Epistolarum Huberti Langueti, Jo. Ca-*

(1) *Arcana* vero pessime ordinata sunt : priores enim epistolas (1559-65) secundus praebet liber, dum posteriores (1565-81) in duas primi libri partes distributae sunt. Quid quod multa typographiae exstant menda, et falso saepius notatae sunt paginae.

« *merarii, Jo. Cratonis et Casp. Peuceri, promulsidis loco,* « *apparatui epistolarum theologicarum majori praemittun-* « *tur* »; e museo I. Weberi. Francofurti ad Maenum, **1702**, in-4°.

5° Epistolae variae Langueti ad amicos, in diversis libris editae, ut in *Corpore Reformatorum*, in Buchanani operibus, in Joannis Casimiri epistolis, etc.

Post illas, jam typis mandatas, Langueti epistolas, alias etiam reperi adhuc manuscriptas, in Bibliotheca Sanctae Genovefae, Parisiis. Quae quidem sunt numero quadraginta, per quinque volumina disseminatae, sub titulo : « *Epistolae Haereticorum* » in-4°; pleraeque ad Cratonem et ad Dudicium missae. Inter multas alias Bezae, Peuceri aut Melanchthonis epistolas, fere latent. Ibidem quoque quaedam a Daniele Molinaeo scripta de morte Langueti narratio servatur (cf. App. II).

Parvum denique Langueti opusculum, quod omnes auctores periisse putabant, in Bibl. Nat. Paris, manuscriptum reperi; epistolam scilicet Langueti ad Thuanum, gallica lingua scriptam, sub titulo : « *Lettre de Monsieur Languet à* « *Monsieur de Tou, touchant les Estats d'Allemagne* » (cf. App. I). Quod quidem opusculum, a viro rerum germanicarum peritissimo, compositum, magni esse pretii mihi videtur.

CAPUT PRIMUM

DE HUBERTI LANGUETI VITA, A PRIMIS ANNIS USQUE AD ANNUM 1560 : DE EJUS PER EUROPAM PEREGRINATIONIBUS, ANTEQUAM ELECTORIS SAXONICI LEGATUS FACTUS SIT.

Hubertus Languetus natus est, anno 1518, Vitellii (gallice Vitteaux), in Burgundia, scilicet in opulenta et pulchra regione, prope ripas fluminis Brennae. Hinc nomina varia, quibus ab amicis aut a scriptoribus designatur : « Burgundus » (1) nempe, aut « Aeduus » (2). Eum Theodorus Beza, qui Burgundus et ipse erat, « conterraneum suum » solebat appellare (3).

Hubertus Languetus veteri gente ortus erat (4), quae nobilitatem suam a XIV saeculo ducebat (5), nec non aliqua in Burgundia auctoritate fruebatur. Pater ipsius, Germanus Languetus, Vitellii castello praepositus, inter provinciae op-

(1) Cf. Ursinus ad Cratonem, 7 dec. 1553. Apud Blasel : « *Hubert Languet* » (1er Theil) Historische Dissertation. Oppeln, 1872, in-8°, p. 6.

(2) Thuani « Historiae sui temporis », 5 vol. in-fol. Genevae 1620. IV, lib. 74, 1581 : Hubertus Languetus « Vitellii in Aeduis natus ».

(3) Philibertus Marrius (de la Mare) : « *Huberti Langueti vita.* » Halle, 1700, in-18, p. 3.

(4) Cf. Blasel. *Op. cit.*, p. 4.

(5) Cf. d'Hozier. « *Armorial général de la France* » (2e Registre, II, p. 86 ss. 10 vol. in-fol. 1738-68). In diplomate quodam a Rege Ludovico XIV, anno 1706 dato, dicitur Lambertum Languetum anno 1373, unum fuisse e praecipuis in aula ducum Burgundiae ministris.

timates eminebat. Mater erat Joanna Devoyot, Augustoduni nata (1).

De Langueti fratribus et sororibus nondum vera locuti sunt auctores : vulgo enim scribitur Germano Langueto fuisse quinque liberos, tres nempe filios, Claudium scilicet majorem natu, Hubertum, Guidonem, duasque filias Annam et Petrinam. Sed plurimi Huberti Langueti epistolarum loci inter se repugnare videntur : postquam enim, anno 1569, ad Electorem Saxoniae scripsit a Ludovico de Luz unum « e fratribus » profugum e patria nuper receptum fuisse (2), anno deinde 1577, dicit : « habeo fratrem et affines... » (3), et anno 1580 : « Habeo fratrem unicum » (4). Ita Hubertus tum plures, tum unum tantum sibi attribuit fratrem. Quos ut diversos locos conciliarent, historici Huberti fratres praeter unum, ante annum 1577, mortuos esse declaraverunt; sed d'Hozier qui illud asseverat, nulla affert argumenta, ac verisimili tantum utitur hypothesi (5). Quomodo autem hanc dubitationem tollere liceret, me benigne docuit Henricus Chevreul, qui, cum Languetorum genti connubio fuerit adjunctus, documenta nondum typis excussa nuper in privato museo reperit (6); unde constat Germanum Languetum bis uxorem duxisse : priorem *Joannam Devoyot,* e qua Philippum et Hubertum, duos filios habuit; sic sibi Hubertus « fratrem unicum » esse dicere potuit; alteram *Joannam Lejeune,* e qua Carolum, Magdalenam, Claudium, Guidonem, Annam et

(1) Cf. Chevreul : « *Étude sur le* XVI[e] *siècle : Hubert Languet* », in-8°. Paris, 1856.

(2) *Arcana*, I, 1, p. 93-95.

(3) *Ibid.*, I, 2, p. 264-68.

(4) Cf. Ep., 87, ad Sidnaeum, 12 martii 1580.

(5) *Loc. cit.*, p. 70. D'Hozier de Huberti gente, secundum Marrium disserit.

(6) Transactionem scilicet quamdam nuper reperit, Vitellii die 21 dec. 1552 factam quae duplicis hujus matrimonii mentionem facit.

Petrinam, tres filios tresque filias habuit ; inde licuit Huberto de « fratribus » suis loqui (1).

Hubertus tranquillam juventam in Burgundia egit, qui Jacobo Perello, Castellionensi, valde erudito viro et naturalium rerum peritissimo, magistro usus est (2). Cujus praeceptis formatus adeo profecit ut, vix novem annos natus, latine jam loqueretur, magnoque antiquitatis operum amore flagraret. Postea Pictavium petiit, doctissimos Universitatis professores audiendi causa. Quae tunc eruditione omnique doctrinae genere ita florebat, ut frequens etiam e Germania et aliis exteris regionibus studentium concursus fieret. Ipse Languetus de Pictavio sic loquitur : « urbs est mihi notissima, nam adolescens in ea operam litteris dedi. Est natura « loci munita : ab una enim parte ambit eam fluvius Clanis, « ab altera vero palus, quae in ipsum fluvium influit.... Muri « urbis sunt vetustate fere corrupti... Est in ea urbe Academia et ingens colluvies Sacerdotum et Monachorum : nam « habet octo monasteria virorum, duo monialium, quinque « ecclesias collegiatas, et decem aut duodecim parrochias » (3). Postquam ibi tres annos integros remansit, juris praecipue studio deditus, ad suos rediit circiter annum 1539.

Pater quidem ei rei familiaris curam mandare, eumque ad publicum aliquod munus in Burgundia exercendum parare in animo habebat. Sed Hubertus proprio ingenio ad litteras

(1)


(2) Philibertus Marrius. *Op. cit.*, p. 5.

(3) *Arcana*, I, 1, p. 111-112. Argentorati 15 aug[i] 1569.

colendas impulsus, a tali vitae genere abhorrebat quippe qui Pictavii, prae sodalibus suis, studendi ardore excelleret, tunc Ciceronis epistolas perlegens, quas postea Philippo Sidnaeo commendavit (1), tunc Graecorum scriptis incumbens, quorum studium pulcherrimum ipsi videbatur (2). Ingens cupido omnia cognoscendi et sciendi eum ceperat, qui olim intima animi vota significaturus erat his verbis : « Pulchrum et dulce est scire ea quae alii ignorant » (3). Ad historiam, qua maxime judicium formari censebat (4), sponte ferebatur; philosophiae studium, post sacrarum litterarum cognitionem, utilissimum esse putabat, praesertim disciplinae illius moralis, quae quid sit justum vel injustum docet (5). Ceterum nihil ex iis quae ad mentem excolendam spectant, plane se ignorare volebat, et quasdam res necessario sciendas esse existimabat.

Hoc uno Hubertus Languetus peccabat, quod linguas quae tunc temporis in usu erant, discendas parum curabat. Gallica, id est patria lingua, ad loquendum, rarissime ad scribendum utebatur; latinam et graecam potius adhibebat, ac postea latine fere omnes epistolas omniaque opera scripsit; quod quidem eo minus mirandum, quod latinus tunc sermo, quasi universalis factus, optimum doctissimis quibusque XVI saeculi viris inter se communicandi modum praebebat. Quamvis in Germania majorem vitae partem Hubertus egerit, imo germanici cujusdam Electoris legatus per multos annos fuerit, pauca tamen germanicae linguae verba tantum didicit, nec unquam ultra progressus est. Anno 1564, Mordesio scribebat ignorationem linguae germanicae maximo sibi impedimento esse (6). Anno 1567, in quadam ad Electorem Augustum epistola, fatebatur sibi in Germania hoc unum

(1) Ad Sidnaeum, 26 martii 1574.
(2) Ad eumdem, 22 jan. 1574.
(3) Ad eumdem, 18 dec. 1573.
(4) Ad eumdem, 22 jan. 1574.
(5) *Ibidem.*
(6) Cf. *Arcana,* II, p. 290-94.

obesse, quod linguae ibi vigentis imperitus esset, dolebatque praecipue se « sacras conciones » intelligere non posse (1). In Angliam haud semel contendit, et cum multis Anglis, praesertim cum Philippo Sidnaeo arctam contraxit amicitiam : attamen anglicae linguae expers semper mansit, atque anno 1574, de cujusdam Angli litteris Sidnaeo scribebat : « Litterae sunt vestra lingua scriptae, quare non potui eas « intelligere » (2).

Ista duarum maximi momenti linguarum ignoratio Langueto postea molestiae fuit, ac germanicam linguam neglexisse eum certe poenituit, quippe qui Sidnaeum hortatus sit, ut illam disceret (3).

Postquam Pictavio in Burgundiam rediit Hubertus, Vitellii manere noluit; eum itinera faciendi cupiditas incendebat, ardorque nova cognoscendi a patria procul pellebat. Quid quod in tota tunc Europa immensa fiebat animorum perturbatio; post magni schismatis enim tempora, post tot xv saeculi romanorum Pontificum flagitia, si non scelera, Lutherus Wiclefii et Joannis Hussii vestigiis insistens, ecclesiam reformandam esse declaraverat; cum Reformatoris doctrina facilem apud plerosque Germaniae principes aditum inveniret, Gallia quoque novis istis disputationibus commovebatur, ipsique acerrimi catholicae fidei defensores quaedam in antiqua religione mutanda esse existimabant. Hubertus, quanquam in catholica domo educatus, proprio tamen judicio religionem suam scrutari constituit, et ad vitae mortisque problemata animum vertere. Anno 1564, illas suas de fidei certitudine dubitationes sic exposuit : « In prima statim ado« lescentia coepi legere libros qui continent disputationes « de religione, cumque initio sine delectu avide perlegerem « quicquid mihi offerebatur, et aliquot annos in ea re contri« vissem, coepi esse valde perturbato animo, et quamvis

(1) Cf. Scholz : « Hubert Languet, *als kursæchsischer Berichterstatter und « Gesandter in Frankreich, wæhrend der Jahre 1560-72* ». In App. 1.
(2) Ep. ad Sidnaeum, 24 julii 1574.
(3) Ep. ad eumdem, 22 januarii 1574.

« multa inepta legerem, nulla re tamen magis offendebar, « quam quorumdam acerbitate in disputando (1). » Posterius etiam Electori Saxoniae scripsit se a teneris annis magna judicii libertate usum fuisse saepiusque suam opinionem nimis aperte dedisse « quo superstitiosorum animi offenderen- « tur (2). » Neque scio an illa de parentibus aut affinibus dicta sint. Quidquid id est, certum est « res religionis » partim causam fuisse cur in Gallia non remanserit, itineraque per exteras regiones facere inceperit.

De primis Langueti peregrinationibus pauca novimus, quaedam tamen in istis tenebris clare discernere possumus. Sic Philibertum Marrium errasse compertum est, cum Languetum in Germaniam primum profectum esse narraverit (3). Ceterum hujus Marrii assertionibus plurimum diffidendum puto, quem d'Hozier in optima de Huberto Langueto notitia merito, fortasse tamen severius dicit, res parum certas retulisse, « cum nec omnia legenda legisset, nec quae legisset satis me- « ditatus esset (4). »

Hubertus primum in meridionales regiones a parentibus missus est, qui fortasse sperabant fore ut apud istos catholicissimos populos ad fidem pristinam revocaretur (5). Galliam verisimiliter totam visitavit, et postea in Hispaniam et Italiam contendit : nullo alio tempore Hispanicum iter incidisse potest, quod certe ante annum 1549 fecit, ut ex epistola posterius scripta manifestum apparet : in qua declarat se « peragrata Italia et Hispania » in Germaniam migrasse (6). Eisdem annis aliquot Languetus Mauritaniae et Africae partes, urbemque Oran invisit (7). Anglicum autem

(1) Ad Camerarium patrem, Ep. 15, p. 35-38, Lipsiae, 8 kal.-nov. 1564.

(2) Wittebergae, 29 junii, 1567. — Scholz, *Op. cit.*, Appendice I.

(3) *Op. cit.*, p. 6,

(4) *Loc. cit.*, p. 5. D'Hozier ipse erravit cum de primo Langueti in Germaniam itinere locutus est; alii multi eodem modo erraverunt : P. Niceron, 1727 ; Papillon, 1745 ; Haag, 1856 ; Herzog, 1865.

(5) Scholz, *Op. cit.*, p. 7.

(6) Scholz, *Op. cit.*, Appendice I.

(7) Cf. *Arcana*, II, p. 117-119. Ep. 67 ad Mordesium ; 16 junii 1561. De Mau-

iter non in isto Langueti vitae spatio ponam (1), quippe quod anno 1552 tantum factum fuisse censeam. Melanchthon quidem, cum anno 1551 Placotomo Languetum commendat, eum cum Ulysse comparat, qui « πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἔθνεα καὶ νόον « ἔγνω », at dicit eum « Italiam, Hispaniam, et Galliam » vidisse, nulla de Anglia mentione facta (2). In posterioribus contra litteris (1554-55) Melanchthon eum « pene totam Euro- « pam » vidisse nuntiat (3). Languetum igitur in prioribus peregrinationibus, meridionales tantummodo regiones perlustrasse existimo. Cum vero in Italia esset, Renatam Ludovici XII, Regis Galliae filiam, quae jam tunc « puriorem religionem » profitebatur, Ferrariae vidit; quod quidem anno 1545 evenit, ut ex epistola constat anno 1575, Electori Saxoniae missa, ubi se « ante triginta annos » Ferrariae vixisse refert (4).

Post ista longinqua itinera, verisimile est Languetum in Burgundiam rediisse, et apud parentes paulisper demoratum esse; sed in patria vix securus erat, propter nimiam animi audaciam, quam saepius sermonibus parum catholicis patefaciebat. Mutationes vero tunc temporis in regimine Galliae factae, periculum etiam auxerunt. Rex enim Franciscus I obiit, qui jam haereticos parum clementer tractaverat, et Henrico II regnante, *intolerantia* ipsa, ut ita dicam, cum Guisiis in throno sedere incepit. Hubertus autem cui sui vitio dabant quod ad Lutheri aut Calvini doctrinas propensior videretur, fortasse et vitae diffidens, Galliam iterum relinquere constituit; de quo proposito haec postea ipse scribebat : « Pa- « rentes mei... miserunt me in Italiam, existimantes me, in « illa impietatis ac prophanitatis schola, aut mutaturum ani- « mum, aut saltem longius abfuturum ab ea saevitia quae

ris verba facit qui « obsident jam urbem Mauritaniae *Oran*, quae est Hispano- « rum, in qua urbe ego fui. »

(1) Ut Blasel fecit, *Op. cit.*, p. 16.

(2) Cf. *Corpus Reformatorum*, VIII, 263. Ep. Melanchthonis.

(3) *Ibid.*, VIII, 765 et 491.

(4) Cf. *Arcana*, I, 2, p. 109-112. Pragae, 23 julii 1575.

« tunc in Gallia exercebatur in eos qui, vel in re minima, « decreta pontificia improbarent (1) ».

Itaque, circiter annum 1547, in Italiam, quam jam noverat, profectus est (2). Quae etiam tunc artium et litterarum patria erat; quamvis jam non grandia xv saeculi ingenia vigerent, ea tamen in omnibus urbibus aedium tum privatarum, tum publicarum magnificentia, idque in civibus urbanitatis et ingenuarum artium studium remanserat, ut mos nondum obsolevisset adolescentes in Italiam ad animum et judicium informandum mittendi. Hubertus hunc artium splendorem valde admiratus est, ac postea omnibus amicis suasit, iter faciendi cupiditate incensis, ut Italiam inviserent (3). Venetam urbem ceteris praeposuisse videtur, quippe qui, cum Sidnaeus illius ornamenta exspectationi suae non respondisse diceret, Italiam nihil habere declaraverit quod cum iis conferendum esset (4). Ceterum Venetiis non diutius manendum esse censebat, atque eidem Sidnaeo scribebat : « Fuge istas lacunas, quibus nihil est inamoenius, « ubi quis vidit ea quae in urbe sunt spectatu digna (5) ». Patavii potius habitandum esse putabat, quod urbs tranquillior et ad studia aptior esset (6). Ibi igitur plerumque vixit.

Ut autem in Italia tot et tam digna admiratione inveniebat, non ita de moribus et hominum indole. Venetos tantum et Patavinos fere probos habebat, at Etruscis et Liguribus diffidebat, quos adeo vafros ac versutos homines esse dicebat,

(1) Cf. Scholz. *Op. cit.* App. I.

(2) Non in Germaniam contendit, ut Marrius et post eum multi (inter quos Treitschke) dixerunt. Falso tunc cum J. Camerario consuetudinem inivisse dicitur, nam de hoc Camerarius ipse in *vita Melanchthonis* nullam fecit mentionem. Marrius hic fabulam quamdam finxit, ac Languetum in Germania usque ad initium belli Schmalkaldensis mansisse retulit. *Loc. cit.*, p. 10.

(3) Nominentur Sidnaeus, Redingerus et multi alii.

(4) Cf. Ep. 5 ad Sidnaeum. Viennae, die brumae 1573.

(5) *Ibid.* Ep. 10. Viennae, 15 jan. 1574.

(6) *Ibid.* Ep. 9, 7 jan. 1574.

ut « reliqui Itali sibi etiam ab iis metuerent (1) »; haud semel eosdem Etruscos et praesertim Florentinos auctores et inventores omnium malarum artium induxit, quibus usi plerique principes christiani, lenes et bene constitutos principatus in tyrannides converterant. Nec Etruscos pessimos Italorum judicabat; at Ligures « acutiores et solertiores », omni modo « foenus et piraticam » exercentes ostendit, tanto artificio ut Hispani « istas Harpyas et hirudines Ligusticas » detestarentur, et tamen sicut Turcae et Afri pecuniam eis dare cogerentur (2). Ab illis ergo Italiae gentibus nihil unquam, quod probandum esset, prodiisse asserebat (3).

Sic de Italiae septentrionalis populis. Sed longius progressus, Romam contendit ubi vividum illud adversus romanum Pontificatum odium hausit, quod in ipsius epistolis manifestum apparet. Italorum consuetudinem et praecipue aulae romanae frequentationem omnibus virtutibus exitio esse aestimabat; pontificiae aulae « prophanitas » ei talis esse videbatur, ut postea Sidnaeum moneret, ne Romam iret : quemadmodum enim virgo quaedam si, victa immoderata cupiditate videndi suos obsessos, noctu castra hostium ingredi auderet, pudicitiam suam in discrimen conjectura esset, ita Sidnaeum, romanum iter suscipientem, honestati suae grave periculum illaturum (4). Quidquid id est, isti « impuri mores » et ista « prophanitas », animum Langueti non solum non mutarunt, ut speraverant parentes, sed potius in eo majorem cupiditatem accenderunt certo cognoscendi ex quibus rebus vera religio et salus mentis consisteret (5).

Libros igitur de religione et theologicos tractatus legere non desiit, praesertimque Melanchthonis « *Locis communibus* » captus fuit; quos cum sub annum 1547, Germanus quidam ei donavisset, uno anno quater aut quinquies perlegit,

(1) Ep. 23 ad Sidnaeum, 9 aprilis, 1574.
(2) *Ibidem.*
(3) *Ibidem.*
(4) *Ibid.* Ep. 37, 2 julii 1574.
(5) Cf. Scholz, *Op. cit.*, Appendice I.

quamvis interea peregrinaretur. Eos tanquam filum Ariadnis sibi variis labirinthis involuto fuisse, ipse narravit (1). Dum sic optimam detegere religionem conabatur, studio juris Patavii incumbebat, ac tandem, anno 1548, laurea doctorali insignitus fuit (2). Ista cura liberatus, theologicis dubitationibus finem imponere constituit; *Locos* enim *communes* punctum Coenae Dominicae, de quo Lutherani et Helvetii disputabant, non satis dilucide explanasse censebat (3), nec. ut plures immerito dixerunt (4), librum Melanchthonis *de anima* legere poterat, qui tantum anno 1552 compositus est (5). Magna tamen admiratione auctorem *Locorum communium* prosequebatur, atque illius videndi cupiditate pellebatur ut Wittebergam iret, et « *Dominum Philippum* (6) » ipsum interrogaret; quin etiam! cum liberius de religione sentiret, quam ut in Galliam redire posset, in Germaniam se recipere et « valedicere patriae et parentibus (7) » decrevit. Anno igitur 1549 (8), Italiam reliquit, et Wittebergam Melanchthonem adiit, qui ei et optimus praeceptor, et quasi pater futurus erat.

Cum in Germaniam primum advenit (9), pax « *ad interim* » inter belli Schmalkaldensis tumultus facta fuerat; sed Imperii Romani Status, quibus tunc Carolus Quintus praeerat,

(1) Ep. 15 ad J. Camerarium patrem, p. 35-38. Kal. nov. 1554.

(2) Marrius, *Op. cit.*, p. 10.

(3) Ep. 15 ad J. Camerarium patrem.

(4) Marrius, *Op. cit.*, p. 10. P. Niceron : « *Mémoires pour servir à l'histoire* « *des hommes illustres dans la République des Lettres* », III, p. 294. Haag : « *La France protestante* ». Ad verb. Languetus. Treitschke : « *Hubert Languet's Vindiciae contra tyrannos* ». Leipzig, 1846, in-8°, p. 6-7. Scholz, *Op. cit.*, p. 8.

(5) Cf. *Corp. Reformat.*, VII, in summario voluminis.

(6) Sic semper Languetus Philippum Melanchthonem designat.

(7) Cf. Scholz, *Op. cit.*, appendice 1. Haec etiam Languetus addit : « Cum do- « minum Philippum tantae memoriae, virtute, ingenio, eruditione, pietate et vi- « tae innocentia reliquos homines longe superare, tum ex ipsius scriptis, tum ex « multorum honestorum hominum sermonibus intelligerem, hunc mihi deligen- « dum existimavi, cujus sanctissimis praeceptis et innocentissimae vitae exemplo « ad pietatem erudirer ».

(8) Cf. Ep. 15 ad J. Camerarium patrem.

(9) Ubi nondum fuerat.

si jam non armis, at certe opinionibus et religione inter se contendebant. Majorem Germaniae partem Reformatorum doctrinae invaserant, ac liberae disceptationis principio allecti, plerique ad novas res se converterant; inter quos quidem, ut inter libere disceptantes fieri solet, quotidie controversiae oriebantur, quae saepius ad ridiculas de verborum interpretatione disputationes aut ad funesta odia desciscebant. Jam Lutherus adversus Zwinglii et Calvini discipulos debellaverat; Luthero mortuo (1546), religiosa non desierant certamina atque innumeri doctores et praedicatores inter se bellum indixerant : sic Osiander, professor theologiae Regiomontani (1), Joachimus Westphalus, pastor Hamburgicus, Joannes Aurifaber, Wimariensis concionator, Brenzius et J. Andraeas wirtembergenses, denique saxonici praesertim theologi, propriam quisque de religione doctrinam defendebant. Venetorum quidam legatus, anno 1563, in sola Germania sex et sexaginta diversas protestantium sectas exstare asseverat (2). In Saxonia, quo se Languetus recepit, Philippus Melanchthon (3) ac Flacius Illyricus (4), ante omnes eminebant; quorum alter, post Lutheri mortem, in Germania novae ecclesiae caput esse videbatur, quam ad Calvinismum paulatim ducere in animo habebat; alter, Lutheri praecepta, sine ulla mutatione, servanda censebat. Quamvis Melanchthon magna valeret auctoritate, sua tamen consilia partim dissimulabat, ne a se Lutheri discipulos averteret; moderato animo ceterum erat, et de controversiarum acerbitate querebatur quas « cum indoctis, rabiosis, furentibus « odio, aulicis Gnathonibus aut tribunitiis hominibus » (5)

(1) Koenigsberg. Cf. Janssen : *Geschichte des deutschen Volkes seit dem Ausgang des Mittelalters.* Freiburg in Breisgau 1885-87, tome IV, p. 9.

(2) *Fontes Rerum Austriacarum*, t. XXX, p. 189.

(3) Natus anno 1497 in Palatinatu, Lutheri discipulus, et graecae linguae professor, in Wittebergensi Universitate. Cf. Wagenmann. *Allgemeine deutsche Biographie*, in verb. Melanchthon.

(4) Natus 1520 in Istria, ab anno 1544 Wittebergae professor.

(5) Ep. *Philippi Melanchthonis, Thomae Mori,* etc. Londini, 1642. 1 vol. in-4°, liber II, p. 454.

[illegible]. Imprimis tum de Coena Dominica disputabatur. Languetus autem istis controversiis et ipse immixtus fuit.

Ut Reformatio [illegible] theologorum rabiem ubique moverat, ita etiam et magnum studiis attulerat incrementum: jam enim a saeculo XV ad veterum opera, per longum temporis spatium neglecta, docti viri redierant, juvante artis typographicae inventione. In saeculo XVI autem, libertas disputandi, a Reformatoribus introducta, omni scientiae quam maxime favit. In Universitatibus quidem theologia primas partes obtinuit, sed ad theologiam discendam philosophia, antiquorum sermonum scientia, atque omnis generis doctrinae necessariae erant. Novae igitur Universitates Marburgi, Regiomontani, mox Ienae et Helmstaedti conditae, et veteres Universitates, ad novum restitutae sunt, Basileae (1532), Wittebergae (1533), Francofurti (1538), Lipsiae (1539) (1), etc. Hubertus Languetus his mutationibus adfuit, et cum amicis, quos sibi in Saxonia inter doctissimos viros comparavit, hac Universitatum et studiorum instauratione laetatus est.

Languetus, statim ab adventu, theologiae et eruditionis controversiarum particeps factus est, et cum praeclarissimis doctoribus aut amicitiam inivit aut commercium quoddam habuit. A Philippo Melanchthone optime exceptus, nunquam postea oblitus est, quomodo « praeceptor Germaniae » se peregrinum et ignotum, « nulla re praeterquam miseriis « commendandum » (2) tractavisset. Languetum Melanchthon de religione haesitantem consilio rexit et ad evangelicam fidem adduxit : inde Hubertus Germaniam quasi patriam novam magno amore amplexus est, Galliaeque sine spe reditus valedixit. Totam fere reliquam vitam trans Rhenum degit, et saepius sese « Saxonem » (3) aut « Germanum »

(1) Cf. Paulsen : *Geschichte des gelehrten Unterrichts auf den deutschen Schulen und Universitaeten, vom Ausgang des Mittelalters bis zur Gegenwart.* 1 vol. in-8°, Leipzig, 1885, p. 188 ss.
(2) Ep. 15 ad J. Camerarium patrem.
(3) Cf. Ep. 2 ad Sidnaeum. 19 nov. 1573..... et multos alios locos.

professus est. Cum, anno 1563, ad Mordesium de Wittebergensis Universitatis statu scriberet : « Haec », inquit, « magnifice Domine, scribo pro meo amore erga illam scho- « lam, quam *loco patriae* habeo » (1). Cum Melanchthone, usque ad mortem hujus, Wittebergae fere semper vixit, ac gratias etiam Deo agebat, quod illius causa patriam et parentes reliquisset. (2) Galliae vero non omnino immemor erat, veraeque patriae desiderium saepius in epistolis apparet. De infelicissimo saeculo queritur, quo tot praestantes viros extorres et profugos e patria videre est (3). Cum de Galliae tumultibus verba facit, ingens eum dolor subit; eam « alto a culmine » ruentem (4) luget, ejus « tragoedias » deplorat, et « fatum patriae » moestus agnoscit (5). De Burgundia non loquitur quin ditissimam illam regionem, omnibus rebus ad victum necessariis abundantem, laudibus extollat, in qua vinum nascitur « quo », inquit, « nescio an ullum sit generosius in toto orbe christiano » (6). Imo, anno 1576, se non ita exuisse omnem affectum erga patriam ait, quin de illa semper sollicitus sit, et cupidus ea cognoscendi, quae ibi quotidie eveniant (7). Quae cum ita sint, quamvis sese in Germaniam receperit Languetus, non tamen eum, Galliae prorsus oblitum esse dicendum puto.

Inter doctos viros quos in Saxonia amicitiae vinculo sibi devinxit, nominandi sunt imprimis : Caspar Peucerus (8), Melanchthonis gener, et in omni doctrina discipulus; et Joachimus Camerarius, vir in graecis et latinis litteris eruditissimus, qui ab anno 1541 Lipsiae professor erat, ibi-

(1) *Arcana*, II, p. 238-40. Lipsiae 26 april. 1563.

(2) *Ibid* , p. 57-61. Ep. 25 ad Mordesium. 16 junii 1560.

(3) Ep. ad Sidnaeum, 13. Viennae. 5 febr. 1574.

(4) Bibl. Sanctae Genovef. *Ep. haereticorum*, t. III. Ep. Langueti ad Redingerum. Pragae 24 sept. 1571.

(5) *Ibidem*. Ep. ad Herdesianum. Pragae 16 augusti 1575.

(6) *Arcana*, I, 2, p. 159-62. Viennae 28 febr. 1576.

(7) *Ibidem*, p. 227-29. Ep. ad Joann. Jennitium. 14 sept. 1576.

(8) De Peucero, cf. *Encyclop. Ersch et Gruber*. Leipzig 1844 in-4°. Dissertatio doctoris Bernard Rose.

que per tres et triginta vitae annos docens vixit (1). Joachimi Camerarii filios quoque novit, et frequens epistolarum commercium cum patre et filio, natu maximo, habuit. In Melanchthonis et Camerarii domo, tanquam filius aut propinquus, tum Wittebergae, tum Lipsiae, vivebat. A Melanchthone tantum per intervalla quaedam peregrinationum discessit, ita ut « eorum consuetudo annos XII attigerit » (2).

Ab anno 1549 ad annum 1560, id est usque ad Melanchthonis mortem, Langueti vita in eadem quotannis revolvitur : Wittebergae aut Lipsiae per hiemem manere, ibique seu theologiae, seu litteris, seu publicis rebus operam dare ; vere autem et aestate, itinera varia per totam Europam facere, et longinquas regiones, perlustrandas suscipere (3). In quo vitae ejus spatio, quamvis pleraque ex ejus testimonio accurate noverimus, multa tamen dubia remanent.

Languetus amore peregrinandi instinctus, quem « astrum suum » nuncupare solebat (4), quotannis quaedam nova videre volebat. Anno 1551 primam in septentrionem peregrinationem videtur suscepisse; ut ex epistola apparet qua Melanchthon eum Joanni Placotomo, Regiomontani (5) artis medicae doctori commendat, Baltici maris littus et Sueciam invisere in animo habebat (6). Ista epistola kal.-aprilis 1551 data, nescio qua ratione, in *Corpus Reformatorum* velut anno 1554 scripta inducta est (7). Marrio auctore, Languetus Placotomum in vertendo scholiisque illustrando Polybio occupatum reperit (8), eumque mox reliquit ut in Sueciam

(1) De Joachimo Camerario patre, vid. : *Allgemeine deutsche Biographie*.

(2) Vita Melanchthonis a Camerario scripta, p. 341.

(3) Cf. Marrium, *Op. cit.*, p. 16.

(4) *Ibidem*, p. 139.

(5) Secundum Blasel, *Op. cit.*, p. 26, Placotomus vivebat tunc Dantisci, ut medicus urbis (Stadtphysicus).

(6) Cf. Marrium, *Op. cit.*, p. 16; *Corp. Reform.*, VIII, 263.

(7) Planck quoque, *Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs*, parte IV, p. 406, dicit eam anno 1554 scriptam fuisse.

(8) *Op. cit.*, p. 17.

contenderet (1); sed in hoc errasse Marrium manifestum est, cum Languetus ante annum 1554 in Sueciam non transierit. In epistola enim commendatitia a Melanchthone, anno 1553, data (2), regiones enumerantur quas Languetus lustravit, nulla autem fit de Sueciâ mentio. Verisimile est Hubertum, anno 1551 Borussiam tantum, et fortasse Daniam visitasse (3).

Nulla de anno 1552 documenta exstant. Sine dubio Languetus, hiemem 1551-52, Wittebergae transegit, sequenti autem aestate, primum ejus in Angliam iter ponendum puto, quod quidem epistolae Melanchthonis confirmare videntur. Postquam enim anno 1551 in litteris commendatoriis Melanchthon scripsit, Languetum Italiam, Hispaniam et Galliam novisse, anno 1553, similibus litteris, Angliae mentionem fecit (4). Languetus vero, in priore vitae parte, in Angliam profecto contendit, quippe qui postea Sidnaeo scriberet se in Anglia aliquandiu suaviter vixisse et multorum benevolentiam expertum esse (5); imo, anno 1561, de Londinensi templo Sancti Pauli ita verba faciebat, ut eum illud vidisse manifestum esset (6). Cum, anno 1551, septentrionalem Europam visitandam suscepisset, fortasse post Daniam, Angliam quoque invisere voluit.

Anno 1553, in medias Europae regiones profectus est, de qua peregrinatione primus Blasel certiora quaedam reperit (7). Caesaream aulam Languetus adire cupiebat, sed antea Silesiam, ac fortasse Poloniam (8) et Ungariam quoque

(1) Multi auctores idem de illo itinere scripserunt : Treitschke, *Op. cit.*, p. 7; Haag, *loc. cit.*; Chevreul, *Op. cit.*, p. 12, iter Suecicum ad annum 1551 refert.

(2) Vid. *Corp. Reform.*, VIII, 139. Languetus dicitur vidisse Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Daniam et Germaniam.

(3) Ut d'Hozier primus dixit, *loc. cit.*, p. 97; cf. Blasel, *Op. cit.*, p. 27.

(4) Vid. *Corp. Reform.*, VIII, 263 et VIII, 139.

(5) Ad Sidnaeum. Ep. 4. Viennae, 4 dec. 1573.

(6) *Arcana*, II, 47, p. 117-119. Antverpiae, 16 junii 1561.

(7) *Op. cit.*, p. 27-29.

(8) Vid. *Corp. Reform.*, VIII, 139. « Nunc Academiam Cracoviensem et Viennensem accedere decrevit. »

perlustravit. Wratislaviae Joannem Cratonem praeclarum medicum, novit, cui Melanchthon et doctor quidam Ursinus eum commendaverant (1). Amicitiam Languetus cum Cratone inivit, qui rursus ei Viennam pergenti epistolam commendatoriam ad vice-cancellarium Bohemiae dedit (2). Sic Viennae bene exceptus, per autumnum ibi moratus est, et Wittebergam tantum mense decembri rediit.

Per hiemem, ut solebat, Wittebergae et Lipsiae remansit ita tamen, ut mense februario Norimbergam iverit, ubi Joachimum Camerarium filium, medicis studiis deditum, cognovit, ad quem paulo post primam epistolam, 4 nonas martii (id est 4 martii) 1554, misit. Sub extremum martium Francofurti erat, Melanchthonem exspectans (3), quem verisimiliter Naumburgum, ad quoddam Saxonicorum et Hessorum theologorum colloquium comitatus est (4). Deinde Augustam Vindelicorum petiit, ubi amicos invisere volebat, Casparum scilicet a Nidbrack, Regis Bohemiae Maximiliani consiliarium, et Xistum Betuleium, eruditum virum, qui Augustano gymnasio a sedecim annis praeerat, atque hoc anno 1554 mortuus est (5). Languetus Hencelio, consuli Augustano, a Melanchthone commendatus fuerat (6), ac fortasse, ut Blasel putat (7), Schwenkfeldi theologi doctrinas oppugnaturus erat, qui Bohemorum fratrum sectam defendebat; Bohemos nempe fratres Caspar a Nidbrack vehementi odio prosequebatur.

Quid Languetus post illud Augustanum iter usque ad annum 1555 egerit, plerosque auctores fugit. At d'Hozier (8), cujus dissertatio de Huberto Langueto optima, qui-

(1) Cf. Blasel, *Op. cit.*, p. 27.
(2) Languetus pro ista commendatione Cratoni, in epistola inedita, gratias agit, quam Blasel Wratislaviae legere potuit. *Op. cit.*, p. 29.
(3) Ad Joach. Camerarium patrem, Ep. 1, p. 1-4, 23 martii 1554.
(4) Cf. Blasel, *Op. cit.*, p. 32.
(5) Marrius, *Op. cit.*, p. 18-19.
(6) *Ibid.*, p. 18; cf. *Corp. Reform.*, VIII, 765, ubi epistola falso, ut anno 1556 scripta, datur; cf. Chevreul, *Op. cit.*, App. 2.
(7) *Op. cit.*, p. 33-34.
(8) *Loc. cit.*, p. 9 et 11-12.

que ipsius epistolas perlegit, eum anno 1554 primum in Sueciam ivisse refert; quod quidem variis epistolarum locis probatur (1). Tunc regem Gustavum Wasam, et filios Ericum Joannemque optime novit, in quorum aula « per aliquot menses » eum vixisse constat. Regi etiam consilia dare ausus est, cui nulla pecunia erat unde bellum gereret, et eum hortatus est ut bellum a Moschis imminens, quocumque modo averteret (2). Quotidiana fere consuetudine Gustavi filiorum usus est, ac praecipue principis Joannis, annos septendecim nati, indolem expertus est, quem quadam formae majestate ornatum et excellenti judicio praeditum, magnis postea celebravit laudibus (3).

Dum in aula regia Sueciae (fortasse in castello Gripsholmiae apud Maelarum lacum) vivebat, eum Gustavus Wasa expeditioni cuidam maritimae praeficere voluit, ut experiretur si per Septentrionem in Cathaiam seu Indiam orientalem navigare posset (4); at Languetus istud deprecatus est munus. Ceterum de illis, anno 1576 ipse nos monuit, his verbis : « Cum *ante duos et viginti annos*, essem in Suecia, et mecum « de ea navigatione saepius loqueretur Rex Gustavus, tandem hortatus est me, ut navigationem illam susciperem, et « promittebat se instructurum duas naves rebus omnibus « necessariis ad diuturnam navigationem, et adjuncturum « mihi nautas peritissimos, qui facerent quae ego juberem « eos facere : sed tunc respondi *me teneri majore cupiditate « perlustrandi cultas regiones, quam quaerendi novas et in- « cultas* » (5). E quibus, quid sibi Languetus peregrinans proposuerit, facile discernimus : scilicet non ignota tantum

(1) *Arcana*, II, p. 24-26. Ep. ad Mordesium-Wittebergae, 25 nov. 1559. *Ibid.*, I, 2, p. 169-171, ad Electorem-Viennae, Kal.-april, 1576.

(2) *Arcana*, II, p. 24-26. Anno 1559 scribit se « ante quinquiennium » in Suecia fuisse.

(3) *Ibidem*. Addit se multo plura de hoc adolescente, Melanchthoni et Peucero « ante aliquot annos » dixisse.

(4) Marrius, *Op. cit.*, p. 25, Treitschke, *loc. cit.*, p. 8, et Chevreul, *Op. cit.*, p. 31-32, illa omnia *de anno 1557* narrant.

(5) *Arcana*, I, 2, p. 169-171. Ep. ad Electorem. Kal. april. 1576.

cognoscere, sed potius mores et industriam hominum ubique observare, naturamque humanam sub omni specie scrutari in animo habuit; quare de eo, jure quidem, scriptum est : « non tantum urbes vidit, sed ut Homerus inquit : καὶ νόον « ἔγνω » (1).

E Succia ad Melanchthonem et Camerarium rediit, apud quos sine dubio per hiemem haesit. Anno autem 1555, novum iter per Italiam et Galliam, ut bibliothecas « doctrinae causa » inspiceret (2), facere decrevit, ac Melanchthon ei, ut solebat, commendatitias epistolas dedit : alteram generalem « omnibus lecturis has litteras » (3), alteram Joanni Bellaio, cardinali, scriptam, qui tunc Romae, procul a rebus publicis vivebat, carmina fingens, et « viros bonos, doctos et moderatos » libenter excipiebat (4).

Languetus circa autumnum profectus est, ac Venetias contendit, ubi fortasse usque ad primos anni 1556 menses remansit; quod quidem epistola posteriore his verbis indicare videtur : « Eram Venetiis *ante quadriennium* » (febr. 1560) (5). Inde Romam petiit, Bellaiumque cardinalem adiit, a quo optime tractatus est (6). Bellaius, qui quamdam prope Thermas Diocletiani regiam habitabat, eum multis claris viris notum fecit, et quidem Titiano pictori, qui Languetum tabula depinxit (7). Fortasse tunc Hubertus cardinalem Michaelem de Sylva, hominem insigniter eruditum, novit, de quo postea mentionem fecit (8). Licet autem Bellaii hospitio valde delectatus fuerit, de Roma pessimam semper opinionem serva-

(1) Ep. Melanchthonis. Kal. junii 1555. Marrius, *Op. cit.*, p. 20-23. *Corp. Ref.*, VIII, p. 491. Chevreul, *Op. cit.*, App. 4.

(2) Ep. Melanchthonis, Kal. junii 1555.

(3) *Corp. Reform.*, VIII, 491.

(4) Ep. Melanchthonis ad Bellaium. Kal. junii 1555. Marrius, *Op. cit.*, p. 24-25. *Corp. Reform.*, VIII, 490-91. Chevreul, *Op. cit.*, App., 4.

(5) *Arcana*, II, p. 35-38. Cf. Blasel, p. 35.

(6) Melanchthon Bellaio gratias egit « quod Hubertus amanter audiisset ». Ep. Kal. febr. 1556. *Corp. Ref.*, VIII, 670-71.

(7) Quae tabula deperdita est. Chevreul, *Op. cit.*, p. 18.

(8) *Arcana*, II, p. 26-28. Ep. ad Mordes. 7 dec. 1559.

vit, quam semel « impuram officinam » esse dixit, in qua cuderetur, ut ait Petrarcha, quidquid fraudum et scelerum per totum orbem spargeretur (1).

Italia relicta, Languetus fortasse per Galliam iter fecit; sed nescio an Henrici II aulam visitaverit, quamvis H. Chevreul, in laudato opere, id expresse declaraverit (2); cum enim apud Henricum Guisii maxima auctoritate valerent, Lutetiae remorari Languetus haereticus sine periculo non poterat. Ceterum nullo epistolarum loco, de isto itinere commemoravit. Eum autem gallicas res optime novisse minime miror, cum multos Parisiis haberet amicos, qui ei nova sine intercessione scribebant.

E Gallia in Belgium profectus, Bruxellis circiter mensem junium 1556 incognitus haesit, ubi novus Hispanorum Rex Philippus II, res publicas gerere incipiebat; nemini autem praeterquam Melanchthoni et Joachimo Camerario patri se ibi fuisse confessus est, et a Camerario etiam petiit ut id secretum apud se retineret, his verbis : « mea interest ut nesciatur » (3). Utrum propter religionem, an propter susceptum quoddam de gubernatione Belgii opus (4), iter secretum servare vellet, incertum remansit. Fortasse jam tunc temporis, principem Arausionensem noverat.

Mense julio Wittebergam rediit, ubi theologicae cuidam inter Flacium Illyricum et Melanchthonem contentioni adfuit; cum enim Flacius Dominum Philippum incusaret quod, deserta Lutheri doctrina, ad Calvinismum transfugeret, Langueto mediatore uti voluit, ac per eum Melanchthoni proposuit ut in colloquio de doctrinis disputarent (5); cum autem sibi oblatum certamen Melanchthon abnuisset (6), Flacius in

(1) Ep. ad Sidnaeum, 11 junii 1576 et 26 martii 1574.
(2) *Op. cit.*, p. 23-25. Marrius nihil de hoc itinere refert.
(3) Ep. 2 ad J. Camerarium patrem. Wittebergae, 12 Kal. augusti 1556.
(4) *Ibidem* : « constitui... aliquandiu ibi (Bruxellis) haerere, ut aliquid adscri- « bam de ratione illius gubernationis ».
(5) Ep. Flacii ad Languetum, 12 julii 1556. *Corp. Ref.*, VIII, 794-95.
(6) Ep. Melanchthonis ad Languetum. *Ibid.*, VIII, 797-99.

eum nova epistola vehementer invectus est (1). Quae omnia Langueto maximo dolori erant, praesertim cum veterem amicum calumniis oneratum videret (2), quamvis ille animo non frangeretur, ac « Flacianas sycophantias » aspernaretur (3).

Paulo post Languetus Bruxellas iterum, ut constituerat (4), profectus est (5). At in ipso itinere, Francofurti aliquot dies constitit, religionibus rebus incumbens, et quid Flacius moliretur observans (6); ibi primum Calvinum vidit (7), quocum ortas inter Anglos et Gallos profugos contentiones componere conatus est (8).

Bruxellis cum gallico legato, Sebastiano ab Albaspina (9), cui Melanchthon eum commendaverat (10), amicitiam inivit, eumque propter magnam rerum publicarum peritiam (11), valde gratum et acceptum habuit. Ceterum non Bruxellis per totum autumnum haesit, verum diversas urbes percurrit : mense octobri, Wesaliae erat, ubi apud senatum urbis quosdam Anglos, qui Calvini doctrinam sequebantur, defendit (12); Melanchthon quoque pro iisdem ad senatum Wesaliae epistolam misit (13), sed frustra (14).

(1) Ep. Flacii ad Languetum. *Corp. Ref.*, VIII, 801-803.

(2) Ep. 3 ad J. Camerarium patrem. Wittebergae, 14 Kal. septembris 1556.

(3) Ep. Melanchthonis ad Languetum, 23 april. 1557. *Corp. Reform.*, IX, 145-46.

(4) Ep. 2 ad J. Camerarium patrem.

(5) Chevreul (*Op. cit.*, p. 25), errat cum Languetum Wittebergae a mense Julio 1556 usque 1557 mansisse asseverat.

(6) Cf. Blasel, *Op. cit.*, p. 42-44. Epistolam Langueti ad Melanchthonem, 18 sept. 1556 datam, Blasel in Wolfenbuttelensi bibliotheca reperit.

7. Cf. Ep. ad Calvinum, 15 martii 1558. *Corp. Reformat.*, IX, 483.

8. Blasel, *loc. cit.*

(9) Sebastianus ab Albaspina seu Laubespinius, dominus de Basse-Fontaine, deinde Lemovicensis episcopus, postea in Hispaniam legatus missus est. Cf. *Arcana*, II, p. 1-3.

10. Ep. Melanchthonis Laubespinio, 28 aug. 1556. *Corp. Reformat.*, VIII, 827.

(11) Cum Laubespinius anno 1567 mortuus est, Languetus scripsit eum fuisse solum « arcanorum Reginae » conscium, et uni isti Reginam (Catharinam de Medicis), plus fidere quam reliquis omnibus. *Arcana*, I, 1, p. 32-34.

(12) Blasel, *Op. cit.*, p. 47.

(13) Cf. *Corp. Reform.*, VIII, 908, 19 nov. 1556.

(14) *Ibid.*, IX, 121-22, ubi Melanchthon queritur quod sua intercessio exulibus gallicis et anglicis apud Fesulanos (Wesalienses) non profuerit.

Languetum in Saxonia apud amicos hiemasse verisimile est, sed jam mense martio 1557 eos reliquerat; Melanchthon enim ei (29 martii) scribebat, litterasque ab ipso flagitabat (1). Quasdam tunc Languetus res familiares administrandas habebat, atque illius negotii causa, prope Galliae fines, Basileae fortasse haesit : epistolam nempe, datam *B.*, ad Joachimum Camerarium patrem (die quinto idus aprilis 1557) misit (2), atque hac *B.* littera urbem Basileam indicari ex hoc conjicio, quod epistola quaedam alia Languetum, anno 1557, Basileae satis diu remansisse refert; quam quidem epistolam, mense junio scriptam, in bibliotheca Sanctae Genovefae ineditam, reperi (3). Basileae Languetus eo libentius vivebat, quod ad loci amoenitatem « erudita et jucunda sodalitia ex variis gentibus » accedebant. Locum commodum ad res suas procurandas habebat, sed, cum omnia tumultibus bellicis turbarentur, cum ne tabellariis quidem per comitatum Burgundiae iter facere liceret, vix cum propinquis in Gallia communicare poterat; an ei contigerit ut familiare negotium solveret nescimus. Tristem interdum Galliae et Germaniae statum lugebat et feraces olim regiones nunc exhaustas esse et pecuniae penuria laborare dolebat. Nunquam antea tantam multitudinem militum e Germania in Belgium et Galliam confluentem viderat. « Quando huc Francofordia veniebam », inquit, « omnes viae ita refertae erant militibus, ut perpetuo in « urbe ambulare videremur, et erant maxima ex parte semi- « nudi adolescentuli, qui primum aratrum deseruisse vide- « bantur. Ii autem, partim Luxemburgum petebant, ne regi « Philippo militarent, partim Lotharingiam, ne regi gallico, « cui in hac urbe non tantum Helveticus, sed et Germanicus « miles conscribitur (4) ».

Mox miseros illos tractus, bellorum saevitia populatos,

(1) Cf. *Corp. Ref.*, IX, 121-22.
(2) Ep. 4, *loc. cit.*, p. 7-8.
(3) *Epist. Haereticorum*, t. III. Ep. Langueti ad Melanchthonem. Basileae, 6 id. junii (8 junii) 1557.
(4) *Ibidem*.

Languetus reliquit, atque ad novum in Sueciam iter accinctus est. Haud dubie properavit ut septentrionales regiones in mensibus aestivalibus inviseret, per quos sol fere Oceano non mergitur. Non Sueciam tantum, sed trans Balticum mare, Livoniam Careliamque, imo et Lapponum patriam perlustravit. De quibus multa nova, sed non semper vera, narravit. Lapponum moribus accuratissime studuit, quae gens « neque fruges, neque poma, neque ullam terrae caelive benignitatem novit, solaque sagittandi peritia et piscatu cibum sibi parat (1) ». Eos ignem venerari animadvertit, et eorum artes fascinatorias admiratus est, quibus « velis ventos immittere, et, cum lubet, revocare » possent (2). Bodinus in Daemonomania (3), quaedam de diabolis Livoniae, ut e Langueti ore audita, induxit, neque mirum est si Languetus, sicut plerique aequales (4), esse diabolos crediderit. Quidquid id est, illa peregrinatione quam maxime delectatus est, quippe qui postea se plerasque orbis christiani provincias pervagatum esse, sed nullius itineris jucundiorem sibi esse recordationem diceret, quam ad extremum septentrionem suscepti; nempe, aiebat, « ibi vidi quae nemo in nostris regionibus docere me potuisset, nec etiam credidissem si ex alio audivissem (5). »

Cum e Lapponia rediret, Holmiam (6), Sueciae praecipuam urbem, ac Gripsholmiam arcem, Regis Gustavi sedem, iterum adiit (7). Gustavus Wasa, qui regnum legibus instituebat, Ipsaliensemque academiam instaurabat, Languetum optime excepit (8), nec eum dimisit, priusquam pollicitus es-

(1) Marrius, *Op. cit.*, p. 27 ea, ut a Langueto dicta, refert.
(2) *Ibidem.*
(3) II, 6. Cf. Chevreul. *Op. cit.*, p. 28-29.
(4) Melanchthon, exempli gratia, ad Languetum de diabolis in corpus hominum ingredientibus scribebat. *Corp. Ref.*, VII, 1058-59.
(5) Ep. ad Sidnaeum, 6. Viennae, 18 dec. 1573.
(6) Stockholm.
(7) Chevreul falso dicit, *Op. cit.*, p. 25 : « Il se fit enfin présenter au roi Gustave « et à ses fils ». Eos vero, jam anno 1554, nôrat.
(8) Marrius, *Op. cit.*, p. 29.

set, se in Galliam perrecturum, ut « omnis generis peritos artifices » et alios quos Sueciae usui futuros putaret, conduceret, et in regnum suecicum mitteret (1). Languetum, in diplomate, istius rei causa, dato, Rex « nobilem generosum, nec non prudentia et rerum gerendarum usu praeditum, tum nobis imprimis probatum et gratum, fidelem « nostrum » appellat. Unde facile conjici potest, quo favore apud Gustavum Languetus usus fuerit. Ceterum, an munere a Rege dato in Gallia functus sit, incertum est.

In Germaniam, sub finem anni reversus est. Simul in biennium vitae ipsius incidimus, quod Marrius prorsus iners, « caliginosum » et vacuum esse dicit (2). Quae tamen tenebrae non adeo spissae sunt, quin videamus Languetum per annos 1558-59, plerumque cum Melanchthone vixisse.

Wormatiam, vix e Suecia rediens, petiit, ut Reformatorem, qui eum ad se vocaverat (3), in magna de religione et praesertim de Coena Dominica controversia adjuvaret. Ad Calvinum de his tunc scribere in animo habebat; at colloquio maturius dirempto, Wormatia Francofurtum contendit, ubi cum Melanchthone a Nicolao Bromio hospitio exceptus est (4); tandem Wittebergam sub finem anni 1557 remeavit (5). Totum verisimiliter sequentem annum in Saxonia transegit (6). Justo et moderato animo utens, neque ad rigidos Lutheri discipulos, ut Flacium Illyricum, neque ad torvos Calvinistas inclinabat; dissidia nempe protestantium componere voluisset, ac sicut Melanchthon, inter Lutherum et Cal-

(1) Cf. Diploma Gustavi, Langueto datum, ex arce Gripsholmiana, 9 sept. 1557. Marrius, *Op. cit.*, p. 30-33. Chevreul, *Op. cit.*, app. 5.

(2) *Op. cit.*, p. 33.

(3) *Corp. Reform.*, IX, 284. Ep. die 20 sept. 1557, ex urbe Vangionum, id est Wormatia, scripta.

(4) Ep. ad Calvinum. 15 martii 1558. *Corp. Ref.*, IX, 483-87.

(5) Kal. januarii 1558 epistolam ad J. Camerarium filium Witteberga mittit. *Loc. cit.*, p. 158-60.

(6) Melanchthonem, quocumque ibat, comitabatur. 16 aug. 1558 Melanchthon Cracovio scribit : « Veniemus ad te, Caspar (Peucerus), *Hubertus* et ego ». *Corp. Ref.*, IX, p. 594.

vinum stabat. Hoc anno 1558, duas Calvino de religionis rebus scripsit epistolas (1), quae ambae Witteberga missae sunt.

Anno 1559 Marrius (2) et post eum plerique auctores Languetum novum iter cum comite Nassavio, Adolpho, principis Arausionensis fratre, suscepisse, eumque in Italiam et deinde usque ad Belgii fines comitatum esse finxerunt. Sed nullo seu aequalium seu Langueti ipsius testimonio ea confirmatur narratio; in duobus ultimis saltem anni 1559 mensibus, Languetum Wittebergae remansisse ex epistolis manifestum apparet (3). Quod ad Adolphum Nassavium attinet, Languetus, anno 1564, se tantum apud eum plerumque fuisse scripsit, « interea dum vixit Wittebergae » (4). Nullam autem de itinere communi mentionem fecit. Iter igitur illud valde dubium habendum censeo.

Sub finem anni Languetus cum Mordesio, Electoris Saxoniae praecipuo consiliario assidue commercium epistolarum habere incipit : quo auctore, Electoris legatus factus, novum vitae genus inchoabit. Jam non enim ad studendum aut ad nova cognoscenda peregrinationes suscipiet; sed in aulicis artibus politicisque dolis versabitur.

Antequam Langueti publicis negotiis primum immixti labores describam, imago ipsius cursim adumbranda esse mihi videtur. Initio *Arcanorum*, ut gravis senex effingitur (5), capite grandi, longa et abundante barba, alta fronte, magnis et vividis oculis. Anno 1560, jam duo et quadraginta annos natus, barbam fortasse minus promissam gestabat, sed eamdem fere speciem verisimiliter

(1) Alteram 15 martii datam (*Corp. Ref.*, IX, 483), alteram 7 Kal. sept. (26 aug.); quae quidem inedita adhuc mansit, in Bibl. Sanctae Genovefae. *Ep. haeretic.*, t. II.

(2) *Op. cit.*, p. 34.

(3) Cf. *Arcana*, II. Vide Herzog : « *Realencyclopaedie für protestantische Theologie und Kirche* », t. XIX. Gotha 1865, p. 764.

(4) *Arcana*, II, p. 290-94. Lutetiae, 8 maii 1564.

(5) Secundum scalpturam, a comite Rochefortio, Divionense Senatore, ad Ludovicum, Arcanorum editorem, missam.

praebebat. Marrius eum his verbis optime depinxit : « Langueto corpus fuit justa magnitudine constans, paulo tamen depressius, caput optime conformatum, et quod reliquorum exemplar esse possit, capillus in juvenili aetate sufflavus et densus, in senili etiam non rarus, frons quadrata, erecta et convenienter exporrecta, supercilia bene arcata, et a se invicem decenter disjuncta, nasus neque oblongus nimis, neque brevior, extrema sui parte in acutiem paulo obtusam desinens, aures erectae et justae magnitudinis, oculi belle aperti, neque nimis concavi, neque nimium prominentes, admodum vividi, in ambitu subnigri, media sui parte leucophaei, suffusione plerumque laborantes, os rotundum et moderate diductum, barba in senectute promissa et bifurca, tota denique facies dignitatis et venerationis plena, rubeo et rosaceo colore perfusa; ex quibus omnibus Langueti temperamentum fuisse constat sanguineum, ad biliosum tamen non parum declinans, proptereaque omnium optimum, et capessendis liberalibus disciplinis aptissimum... » (1). Quae descriptio nostris oculis Langueti figuram quasi resurgentem subjicit.

De animo et indole Langueti, potius post vitae totius narrationem judicium feremus; notare tantum jam nunc oportet eum fuisse in religione moderatum, et cum litteris eruditum, tum publicarum rerum peritissimum; cum praeterea per totam Europam iter fecisset, eum ubique doctos quosdam et praestantes viros novisse qui cum eo epistolarum commercium habuerunt, eumque quamdiu vixit nova ex omnibus regionibus diligenter docuerunt.

Languetorum gens nobilitatis insignia habebat, qualia d'Hozier in suo opere : « Armorial général de la France » finxit; quae sic in exordio libri cujusdam descripta sunt : « Occurrit in scuto formae ovatae seu italicae, figura triangularis auro tincta, cum inscriptis in quolibet angulo stellis

(1) *Op. cit.*, p. 133-34.

« minoribus » (1). At Hubertus Languetus alterum « digma » sibi elegit, quo ut Electoris Saxoniae legatus uteretur; quod quidem in eodem praedicto exordio sic describitur : « In « scuto quadrato infra in rotunditatem vergente, et toreu« matico opere marginato (Galli *cartouche* vocant), apparet « fascia, medium scutum intersecans, et tribus aviculis vo« lantibus comitata, quarum duae in superiore, una in infe« riore parte, dextram versus, tendere conspiciuntur. Supra « scutum litterae H. L., nominis initiales comparent ». Illud digma H. Chevreul se nuper in familiari museo reperisse mihi benevole nuntiavit. Ita, dum pro Electore germanico, Augusto, agit, sibi Languetus propria assumpsit insignia.

(1) « *Decades tres epistolarum* Huberti Langueti, Jo. Camerarii, Jo. Cratonis « et Casp. Peuceri, promulsidis loco, apparatui epistolarum theologicarum ma« jori praemittuntur, et primum prodeunt e Museo Immanuelis Weberi, prof, « publ. Giessensis ».
Francofurti ad Maenum, anno 1702. 1 vol. in-4°.

CAPUT II

DE HUBERTO LANGUETO, PRO ELECTORE SAXONIAE, IN GALLIA AGENTE (1560-72)

Anno 1559 Languetus per Philippum Melanchthonem (1) Ulrico Mordesio (2), Electoris saxonici consiliario, innotuit, ac paulo post hujus principis legatus factus est.

Saxoniae autem Elector erat tunc Augustus, (1526-86), qui fratri Mauritio successerat (1553), et secundus Albertinianae stirpis Elector erat, Ernestinianis, post Muhlbergensem cladem, illa dignitate spoliatis (1547). Jamdiu magnas in Germania Saxonicus Septemvir partes agebat; ex quo Lutherum Fridericus III defenderat, Elector Saxoniae protestantium dux in Germania habebatur, atque inter potentissimos Imperii principes numerabatur; secundum quemdam Venetorum legatum, tunc temporis ditissimus omnium Electorum erat (3). Augusto saepius id objectum est quod nimis avidus esset, atque in omnibus fere gestis ad divitias comparandas tenderet (4). Scientiae tamen et litterae ei curae erant, eru-

(1) *Arcana*, I, 2. Ep. 104, p. 264 ssq.

(2) Ulricus Mordesius (von Mordeisen), natus Lipsiae anno 1519, professor in illius urbis Universitate factus erat, atque anno 1554, Augusti Electoris consiliarius (Kammerrath); usque 1565 in gratia fuit, quo anno in carcerem conjectus est, ac quamvis mox liberatus fuerit, suspectus reliquam vitam degit; anno 1572 mortuus est.

(3) « L'Elettore di Sassonia è il piu ricco d'entrata... » *Fontes Rer. Austriae.* T. XXX, p. 185.

(4) *Allgemeine deutsche Biographie.* (Kluckhohn).

ditisque viris favebat; Wittebergensem Lipsiensemque Universitates claris instruere professoribus conabatur, juris et mathematicae scientiae ipse peritus erat, ingeniaque et artes fovebat : apud Marrium (1) dicitur eum sexaginta annos natum, latinam linguam, suadente Langueto, didicisse; bibliothecam etiam et typographiam Dresdae institui jussit. Ita Augustus et auctoritate et opibus et aulae splendore eminebat. At multis circumdabatur periculis, quippe qui semper propinquos suos, Ernestinianos, timendos haberet, praesertimque Joannis Friderici, Saxoniae Wimariensis ducis, insidias reformidaret. Quae cum ita essent, adversus hostes Augustus amicitiam Imperatoris consectabatur, et in praecipuis Europae aulis legatos alebat, qui sibi, quaecumque ibi agerentur, mandarent (2), et res Saxoniae quam optime procurarent; apud Galliae Regem et apud Imperatorem imprimis tales eum habere legatos oportebat.

Hubertus Languetus inter illos legatos fuit. Mordesius eum, propter insignem rerum et hominum peritiam, propter moderationem animi et « dextrum in rebus gravibus judicium (3) », ad publica officia aptissimum judicaverat, et Electori statim commendavit (4); qui opera Langueti uti constituit, « si quando apud exteras gentes et praesertim in aula gallica sibi foret aliquid negotii ». Langueto « nihil tale cogitanti » Mordesius hoc munus proposuit, annuumque promisit stipendium. Hubertus se aliquandiu excusavit quod eo ingenio non esset ut Electori usui esse posset, addebatque se Wittebergense otium et amicorum commercium aegre relicturum. Cum autem Mordesius instaret, illam conditionem tandem suscepit, et ab Electore in Galliam « aliquoties » missus est (5). Quod quidem jam anno

(1) *Op. cit.*, p. 55.
(2) Praesertim eo tempore quo nulla diaria in publicum quotidie edebantur.
(3) *Arcana*, II. Ep. Mordesii ad Languetum, 20 nov. 1559, p. 21-23.
(4) *Ibidem* : « Feci honorificam tui mentionem apud Illustrissimum principem « Electorem nostrum, et quid in mandatis habeam, exponam tibi coram ».
(5) *Ibid.*, I, 2, p. 261 ssq. Languetus ad Electorem, 9 januarii 1577.

1559 aut initio anni 1560 evenit, nec sicut Marrius et quidam alii narraverunt (1), Languetus tantum anno 1565 in aulam Saxonicam evocatus est. Nec scio an eo in errorem isti auctores inducti sint, quod anno 1565 primum, postquam Mordesius ex aula pulsus fuit (2), Languetus ad Electorem « relationes » mittere incepit; at epistolas antea ad Mordesium scriptas Elector legebat (3), atque ipse interdum, jam anno 1560, Langueto respondebat (4). Illis testimoniis manifestum apparet eos etiam errasse qui anno 1561 tantum Languetum in Galliam pro Electore contendisse asseverarunt (5); Marrius quoque eum anno 1560 Lutetiam euntem « unius fere Turnebi videndi studio ductum (6) » falso induxit.

Thuanus Languetum apud Electorem « praecipui consiliarii officio » functum esse dixit (7), nec merito; nunquam enim in aula saxonica Languetus haesit, verum seu Lutetiae seu Viennae erat, consilia interdum dare non dubitavit, ideoque quasi in exteris consiliarius haberi potest.

Natione Gallus, gallicae igitur linguae et gallicorum morum peritus, Languetus is erat qui in Gallia pracipue Electori Augusto optima officia praestaret. Per duodecim fere annos (1560-72), aut in Gallia aut in vicinis regionibus, quotiescumque inde bello civili pellebatur, remansit. In aula Gallica, ut Electoris legatus, causam ipsius aut Huguenotorum tuen-

(1) Marrius, *Op. cit.*, p. 36. P. Niceron, *loc. cit.*, t. III, p. 296, etc.

(2) Elector ei vitio dedit quod matrimonium inter danicum principem et filiam Imperatoris parum curasset.

(3) *Arcana*, II, p. 133-35. Mordesius ad Languetum : « Argumenta earum (epis- « tolarum) principi Electori exposui ».

(4) *Ibid.*, p. 38, 18 martii 1560. Languetus ad Mordesium : « Accepi litteras « tuas et *Illustrissimi Principis*, pro quibus Ipsius Celsitudini et tibi reverenter « gratias ago ».

(5) Treitschke, *Op. cit.*, p. 10. Haag, *loc. cit.* Chevreul, *Op. cit.*, p. 41.

(6) *Op. cit.*, p. 34.

(7) « *Historiae sui temporis* », 5 vol. in fol. Genevae, 1620, t. IV, lib. LXXIV, ad annum 1581. Teissier, in libro « *Les Éloges des hommes sçavans* », I, p. 511-13, idem dixit. Cf. Papillon : « *Bibliothèque des auteurs de Bourgogne* », Divionis, 1745, in fol., p. 371.

dam suscepit; nova de tota Europa mittebat, sed praesertim de gallicis rebus retulit, ita ut epistolae ejus ad historiam illius temporis scribendam maximi momenti sint (1). De Langueti in Galliam legationibus optimam doctor quidam germanicus, Oscar Scholz, dissertationem edidit (2); quam tamen narrationem, multis additis vel mutatis, ad novum instaurare operae pretium esse puto.

Cum Languetus primum in Galliam missus est, Elector Saxonicus gallicae aulae diffidebat, nedum cum ea amicitia conjungeretur. Augusto enim adversus Ernestinianos, sicut ipsius socero, Regi Daniae Friderico II adversus Christinam, regis spoliati Christiani filiam, sine intermissione certandum erat; Galliae vero Rex Ernestinianis et Christinae favebat, quod illi auxiliarias copias ipsi dabant, Christina autem Guisiis affinis erat (3). Anno 1560 Augustum Electorem atque Daniae Regem, hostes simul regno expellere meditati erant (4), cui proposito bellum civile in Gallia obstitit. Quidquid id est, gallicas res Elector attentis oculis sequebatur, ac Languetus pro eo in Gallia egit, sicut pro Ernestinianis iste Petrus Clarus, primus Regis Galliae interpres, qui Guisiis percharus fuisse dicitur (5).

Die 18 martii 1560, Languetus Mordesio nuntiavit se esse ad proficiscendum paratum, et Witteberga « intra triduum aut quatriduum » discessurum (6). Adriano Turnebo graecarum litterarum professori regio, et Andreae Wechelo, typographo, qui Luteliae vivebat, a J. Camerario commendatus (7), post aliquot dierum moram, initio aprilis profectus est, ut ex epistola Melanchthonis constat, ad Regem

(1) Cf. « *Arcana* xvi *saeculi* ». Halae, 1699, in-4°.

(2) *Op. cit.*

(3) Vidua ducis Lotharingici, Francisci.

(4) Scholz, *Op. cit.*, p. 14-15.

(5) *Arcana*, II, p. 23-24. Wittebergae, prid. Kal. dec. 1559. Portanus ad Mordesium.

(6) *Ibid.*, p. 38, 18 martii 1560.

(7) Ep. ad Camerarium filium, p. 160-63, 11 Kal.-april. (22 martii) 1560.

Navarrae, Antonium, scripta, quam secum abstulit (1). Mordesius ei coram Electoris mandata transmiserat (2); de illis igitur nihil scimus. In itinere, Cassellis, Landgravii Philippi aulam invisit, et Marpurgi cum Gulielmo, Landgravii filio, coenavit. Per Heidelbergam quoque iter fecit, ubi professoris in Universitate conditionem sibi oblatam, his verbis abnuit « sibi nefas esse *alibi quam Vitembergae* in Germania « vivere (3) »; deinde per Francofurtum et Antverpiam (4), tandem Lutetiam medio mense Maio pervenit, postquam Connestabilem de Montmorency in ipsius praedio visitaverat (5).

Galliam valde turbatam reperit, nam Ambosiana conjuratio, nuper 17 martii detecta, factionum odiis in Gallia incremento fuerat. Melanchthon, cum infelici ejus conjurationis exitu valde commotus esset, Regi Navarrae per Hubertum Languetum suum dolorem significare voluerat (6); paulo post cum graviter aegrotaret, dicebat se « majorem dolorem sen- « tire ex calamitate gallicarum ecclesiarum quam ex « morbo (7). » Cum Languetus post istam Huguenotorum cladem advenit, omnia ita « plena suspicionum » erant, ut « alicujus dignitatis homines », vix inter se colloqui auderent (8). Guisii soli gubernabant, Regem Franciscum hinc inde, prout ipsis videbatur, circumducentes. Languetus miserum istum Galliae statum cum ingenti moerore descripsit.

Interea mortem Melanchthonis, veteris amici et tanquam patris, audivit (9), qua re ita afflictus est ut scribendi officium

(1) Kal.-april. data. Quae epistola ex Archivo urbis Pau a Read primum, anno 1856, publicata est, in « *Bulletin de la Société de l'histoire du protestantisme français* », IX, p. 125-26.

(2) *Arcana*, II, p. 21-23, 20 nov. 1559.

(3) *Ibid.*, p. 42-45. Ep. ad Peucerum, 6 idus aprilis (8 aprilis) 1560.

(4) *Ibid.*, p. 48-50. Antverpiae, 26 april. 1560, ad Mordesium.

(5) *Ibid.*, p. 50-52. Lutetiae, 15 maii 1560.

(6) Ep. supra citata, ad Regem Navarrae.

(7) Ep. 22 ad J. Camerarium patrem, p. 50-51, 9 Kal.-martii (21 febr.) 1566.

(8) *Arcana* II, p. 50-52, 15 maii 1560.

(9) Melanchthon 19 aprilis 1560 obiit, non 15 septembris, ut Chevreul dicit (*Op. cit.*, p. 35).

fere obliviscerctur ; adeo amissum eum dolebat, quo nihil carius in toto orbe habuerat (1). In Gallia usque ad extremum mensem augustum mansit, modo Lutetiae vivens, ubi cum Turnebo de communibus amicis (praesertim de J. Camerario patre) loquebatur (2), modo in Burgundia apud parentes et fratres (3). In Germaniam tandem rursus profectus est, et Wittebergam per Francofurtum (4) festinavit, ad Casp. Peucerum, Melanchthonis generum, qui quasi successor Reformatoris erat, atque Universitati, ut Rector, praesidebat. Peucerus autem, praecepta Melanchthonis, qui ad calvinismum secrete inclinaverat, sequebatur, nec quemquam per octo annos Wittebergae professorem creari passus est, nisi idem de religione sentientem.

Languetus in Saxoniam moestissimus rediit : etenim Artus de Chasseneuz, ejus consobrinus, in parlamento Burgundiae consiliarius (5), Cardinalis Bellaius, quocum Romae amicitiam inierat, denique Rex Gustavus Wasa, qui eum in Suecia tam benigne exceperat, post Melanchthonem, eodem anno mortui erant. Luctum autem Langueti dissensiones de religione etiam auxerunt : jam vivente « Praeceptore Germaniae », theologicae saepius ortae erant controversiae ; quo defuncto, rabies disputantium modum jam non habuit. Magnum de originali peccato colloquium inter Flacium Illyricum et Victorinum Strigelium tunc temporis factum est, in quo, cum Flacius devictus fuisset, amici ejus ex urbe Iena, anno 1561, pulsi sunt, et ipse paulo post Saxoniam relinquere coactus est (6). Languetus vero qui eadem quae Melanchthon et Peu-

(1) *Arcana*, II, p. 57-61, 16 junii 1560, ad Mordesium : « Tandem tamen », inquit, « licet difficulter, et officium meum et observantia erga te me ad scribendum coegerunt ». Cf. Ep. 5 ad J. Camerarium patrem, p. 8-10, 8 Kal.-junii (24 maii) 1560.

(2) Ep. 5 ad Camerarium patrem, de quo, ait, Turnebus ita sentit, « ut nullum hominem pluris faciat ».

(3) *Arcana*, II, p. 67-69. Ep. ad Mordesium. Lutetiae, 26 aug. 1560.

(4) *Ibid.*, p. 65-66. Postridie idus sept, (14 sept) 1560

(5) Cf. Chevreul, *Op. cit.*, p. 40.

(6) Flacius Ratisbonam primo contendit; deinde Antverpiam vocatus, post varia itinera, Francofurti anno 1575 obiit.

cerus de religione sentiebat, magno studio illas contentiones respiciebat, ac tum Naumburgi mense januario 1561 conventui theologico aderat (1), tum de Brunswicensi quadam inter Hardenbergium et Flacium disputatione, mense februario, ad Mordesium referebat (2). Illis tamen perpetuis tumultibus defatigatus, cum munus professoris in schola Wittebergensi sibi oblatum accipere noluisset, a Mordesio petiit ut in Galliam iterum mitteretur, ubi novum regimen, post mortem Francisci II (Dec. 1560) institutum observare, et initia Caroli noni inspicere posset (3).

Elector igitur Augustus Languetum in Galliam misit (4), eo fere tempore quo Dominus de Vieilleville, gallicus legatus, in Germaniam adveniebat; quem duces Wimarienses, Joannes Fridericus et Joannes Gulielmus optime exceperunt (5). Iter, ut solebat, Languetus per Francofurtum et Antverpiam fecit, ac Bruxellis Arausionensem principem vidit, qui ibi splendidissime vivebat, et cujus mensa omnibus patebat (6); Lutetiam, sub finem mensis junii, attigit.

Antequam in aulam prodiret, tres aut quatuor dies haesit, ut de aulae statu aliquid intelligeret. Regina mater, Catharina, pro filio imperium tunc exercebat; cum autem Guisiis nimis potentibus Connestabilem, Regem Navarrae Condaeumque opponeret, Huguenoti jam caput extollebant. Langueto igitur cui Elector mandaverat ut Huguenotis opem ferret, cui etiam epistolas ad praecipuos illorum duces deferendas dederat, munere suo fungi vacuum ac facile erat. Postquam Rhingravio Joanni Philippo, qui quasi magister caerimoniarum erat, litteras credititias reddidit, Regem Navarrae adiit, et ei epistolam Electoris tradidit, e qua Rex summam volup-

(1) Bibl. Sanctae Genov. *Ep. Haeretic.*, III, 25 januarii 1561.
(2) *Arcana*, II, p. 104-106. Ep. ad Mordesium. Ult. die febr. 1561.
(3) *Ibidem*, p. 107-109. Wittebergae, Kal.-april. 1561.
(4) Languetus tunc fere per sex annos in Gallia remansit, exceptis quibusdam in Germaniam itineribus.
(5) *Arcana*, II, p. 116-117. Francofurti, 2 junii 1561.
(6) *Ibid.*, p. 117-119, 16 junii 1561.

tatem capere visus est. Langueto saltem pollicitus est se omni ope et opera ei esse auxiliaturum, si quid negotii Lutetiae haberet (1). Post aliquot dies, Hubertus Connestabili Montmorencio, eodem modo, epistolam ab Electore datam reddidit, et evangelicae religionis res commendavit. Quae quidem bono loco esse videbantur, cum novus cancellarius, Hospitalis, moderato utens animo, neque sibi ante oculos aliud quid quam aequum et bonum proponens, bonos cives vexare nollet, quod parum catholicam profiterentur fidem (2). Languetus Hospitalis virtutem his paucis verbis satis laudavit : « nec minae, nec praemia, ne quidem belli tempore, « tantum apud ipsum potuerunt, ut aliquid indignum suo « munere faceret (3) ».

Dum in aula gallica vivebat, Languetus et Regem et Reginam matrem, et diversos factionum duces in Gallia, optime novit, omnesque in epistolis ad Mordesium prudentissimo judicio depinxit. Regem Carolum corpore satis imbecillo sed eximia animi probitate esse (4); ei non defuturum ingenium; imo jam anno 1565 in adolescente virum deprehendi putabat (5). Quaedam in debili isto Rege mentis audacia inerat, quae Langueto satis placebat, cum diceret se religionem in Gallia, si vellet, mutaturum (6). Languetus eum benevolo potius animo prosequebatur, qui anno 1568, cum Romani Pontificis et Hispaniae legati bellum ipsi minitarentur, eis responsurus erat : « Si vestri principes mihi bellum inferent, ego « objiciam ipsis *meos Huguenotos* quos scio in ea re mihi « alacriter obtemperaturos » (7).

Carolum Regem Regina mater gubernabat, idque in animo habebat ut Guisiis, Connestabile et Huguenotis pariter

(1) *Arcana*, II, p. 119-124. Ep. ad Mordesium. Kal.-julii 1561.
(2) *Ibid.*, p. 124-129. Lutetiae, 13 julii 1561.
(3) *Ibid.*, p. 245-48, 29 junii 1563.
(4) *Ibid.*, p. 124-129.
(5) Ep. 21 ad Camerarium patrem, p. 48-49, 14 Kal. dec. 1565.
(6) *Arcana*, II, p. 124-129.
(7) *Ibid.*, I, 1, p. 64-66, 18 maii 1568.

coercitis, sibi supremam vindicaret potestatem. Hoc praecipue ei curae erat ut regnaret, nec propter pontificios aut lutheranos fortunam suam in discrimen erat conjectura. Prudentissimam eam esse censebat Languetus, neque mirum, quippe quae « Florentina esset » (1). Cum Catharina de labefactanda Guisiorum potentia cogitaret (2), Langueto « Reipublicae amantissima » (3) videbatur; sed postea eam ad omnium arbitrium se inflectentem, ita tamen ut habenas e manibus non dimitteret, minus benignis conspexit oculis; imo eum puduit creduli animi, quod in ista « Florentina » aliquid prudentiae esse existimasset (4).

Pauca de Rege Navarrae qui dubius et iners inter protestantes et catholicos haerebat, Languetus nobis tradidit. De Montmorencio autem Connestabile, pontificiae quidem religioni addicto, sed moderato pacisque studioso viro, satis aeque judicavit; quem morte immatura praereptum lacrimis atque desiderio prosecutus, vere patriae amantem fuisse affirmat (5). Non autem tam aequo judicio de Guisiis aut Huguenotorum ducibus Languetus usus est. Guisios scilicet unice insidias struentes et cum Hispanis aut Romani Pontificis legatis secreta ineuntes foedera ostendit, Lotharingicique cardinalis ante alios odio ardebat. Condaeum contra et Amiralium a Coligny indulgentius haud scio an laudaverit; id tamen ei vitio dare non possum, cum inter miserae Galliae tumultus, eum Casparum de Chatillon videret, qui, nulla propria ambitione pulsus, virtutum et pietatis gratia, maxima uteretur auctoritate (6), ac dum Guisii cum Hispanis sese

(1) *Arcana*, II, p. 139-42, 20 sept. 1561.
(2) Ep. 8 ad J. Camerarium patrem, p. 15-19. Kal. febr. 1563.
(3) *Arcana*, II, p. 227-29. Ep. ad Mordesium. Kal. junii 1562.
(4) Cf. Epistolam ineditam quamdam Langueti, sine notatione anni nec loci. Bibl. Sanctae Genov. *Ep. haeretic.*, V. E quibusdam hujus epistolae verbis apparet eam, anno 1567, scriptam fuisse; eadem enim verba de « *incendio ante quinquiennium in Gallia excitato* » refert, quae sunt in epistola anni 1567, jam citata (Scholz, *Op. cit.*, App., 1).
(5) *Arcana*, I, 1, p. 32-34, 24 nov. 1567.
(6) *Arcana*, II, p. 119-24, et p. 245-48.

jungere non dubitarent, omnes Galliae vires copulare civiliaque dissidia restinguere in animo haberet, ut bellum gloriosum patriae hostibus inferret!

Inter istas factiones Languetus ipse parum securam agebat vitam, cum a pontificiis tanquam evangelicus accusaretur, et etiam Huguenotis suspectus haberetur, qui eum venisse dicebant, ut principibus auctor foret, Confessionis Augustanae suscipiendae (2).

Ab Electore tamen petiit ut sibi liceret in Gallia, diutius quam constituerat, remanere (1), quod Religionis colloquio, Poissiacum indicto, adesse vellet, generalisque Statuum conventus sententiam exspectare. Elector autem per Mordesium ei mandavit ut aliquandiu in Gallia commoraretur; imo ei centum thaleros, ad victum, mitti jussit (2).

Valde quidem mirus Galliae tunc status erat, cum de religione ubique libere disputaretur, et Regina mater, inter catholicam et evangelicam fidem anxia penderet, dubitans utrum Deus latine an gallice orandus esset. Mense septembri 1561, Regina Navarrae, Henrici IV mater, in aulam cum concionatoribus advenit, qui quotidie psalmos canebant et « puriorem religionem » aperte profitebantur. Lutetiae semper in eo erat ut Huguenoti et pontificii manus consererent. Totis diebus et noctibus per plateas vagabantur cataphracti equites et pedites, « ut seditionum initia opprimerent, si qua « exorirentur ». Evangelici ad conciones sacras, 2, 3 aut interdum 10 millia hominum, extra urbem conveniebant; mulieres in medium recipiebantur, cinctae a viris peditibus, quos ipsos equites cingebant; quae publicae conciones plerumque sub dio, aliae autem in urbe clandestinae fiebant (3).

Interea Poissiaci colloquium de religione habebatur, ad quod duo e praecipuis protestantium oratoribus arcessiti

(1) *Arcana*, II, p. 124-29, 13 julii 1561.

(2) *Ibid.*, Ep. 49, 13 julii 1561.

(3) *Ibidem*. Ep. 52. Mordesius ad Languetum, 3 sept. 1561.

(4) Cf. *Arcana*, II, p. 154, pridie martini (10 nov.) 1561. Languetus optime istas conciones, quibus saepe adfuit, descripsit.

fuerant, ut doctrinam exponerent, Theodorus scilicet Beza et Petrus Martyr, Tiguri pastor. Mox etiam Elector palatinus et dux Wirtembergensis theologos Poissiacum miserunt, quos Languetus in aulam introduxit; inter eos nominandus est Jacobus Andraea (1), qui postea librum *de Concordia* scripturus erat, atque unicam de Coena formulam propositurus. Languetus utriusque partis doctores disputantes audivit; colloquium vero, ut facile praevidendum erat, inane diremptum est. Simul mense januario 1562, magnus notabilium conventus factus est, in quo cancellarius declaravit quieti Galliae esse consulendum; postquam Connestabilis et Amiralius inter se disputaverunt, postquam episcopus Valentinus, « homo ingeniosus, et peritus multarum rerum » (2), erga Huguenotos clementiam lenitatemque suasit, nec dicere dubitavit « Pontificem et omnes ejus ministros esse ovile Diabolo » (3), 17 jan. 1562 novum de religione promulgatum est Edictum, quo protestantibus vitae periculo interdicebatur ne templa in urbibus haberent, eis autem jus conventus extra urbes habendi, concedebatur (4).

Cum illa omnia bellum potius quam pacem effectura viderentur, Guisii et Huguenoti jam tunc auxiliarios milites in Germania conscribendos curaverunt (5). Mense tandem martio 1562, primum exortum est civile bellum in Gallia. Languetus, qui jamjam in Germaniam erat regressurus, per turbatas provincias iter facere non ausus est; imo etiam pseudonymum, Joannis Methonaei nomen, ad scribendum adhibuit (6), ut sine intermissione ad Mordesium de gallicis rebus referret. At res in pejus quotidie ruebant, et, mense junio, jam non sine maximo periculo Lutetiae morari poterat; Aureliam, praecipuam tunc Huguenotorum arcem petere

(1) *Arcana*, II, Ep. 61, ad Mordesium. Lutetiae, 26 oct. 1561.
(2) *Ibid.*, p. 246.
(3) *Ibid.*, p. 195-97, 23 januarii 1562.
(4) *Ibidem*.
(5) Cf. Scholz, *Op. cit*, p. 25-26.
(6) *Arcana*, II, p. 211-15, 30 martii 1562.

nolebat, ne omnis plane scribendi occasio sibi adimeretur. Quid sibi gerendum esset, prorsus ignorabat, nam, patriae amore devinctus, asserebat se nihil magis cupere, si Gallia periret, quam in ejus cineribus sepeliri (1).

Quidquid id est, in Germaniam circa autumnum rediit, et aliquod tempus in aula saxonica commoratus est (2); id posteriorum tantum litterarum testimonio compertum habemus, quia nulla Langueti inter mensem junium et mensem decembrem 1562 exstat epistola. E Saxonia autem Francofurtum contendit, ut Maximiliani, Romanorum Regis, electioni adesset (3). Inde Argentoratum petiit, rursus in aulam gallicam excurrere jussus (4). At Argentorati, febri et catarrhis ita correptus est, ut urbem non solum hospitium, « sed etiam sepulchrum » sibi praebituram putaverit (5). Morbus eum Argentorati diu retinuit, unde civilis belli, quod in Gallia saeviebat, eventus omnes anxio animo observavit Tandem post pugnam apud Durocassium urbem commissam, pax mense martio 1563 Ambosiae facta est; quam quidem magno gaudio Languetus excepit, nec ut Chevreul, cujusdam epistolae locum falso interpretatus, conjicit (6), Condaeum propter pacem citius factam improbavit (7); at contra, suam de Ambosiana pace opinionem his verbis aperte exposuit : « Non possum satis mirari eorum stultitiam, « qui Condaeum principem, ob factam ejusmodi pacem ac- « cusant. *Ego sane vel multo iniquiorem felicissimo bello « praetulissem :* quod si vel ad paucos menses bellum du- « rasset, Gallia plane perierat (8)... » Adeo Languetus

(1) *Arcana*, II, p. 227-29. Kal. junii 1562.

(2) Cf. « *Epistolas Hieronymi Zanchii* ». Hanoviae, 1609. 2 vol. in-12, II, p. 198-99. Ep. Langueti ad Zanchium, theologum, 6 Kal. jan. 1563 : « Diutius « haesi in Saxonia, quam existimaveram ».

(3) *Arcana*, II, p. 229, 10 dec. 1562. Cf. Scholz, *Op. cit.*, p. 29.

(4) Vide Epistolam ad Zanchium, 6 Kal. jan. 1563.

(5) *Arcana*, II, p. 229-30, 17 jan. 1563.

(6) *Op. cit.*, p. 56.

(7) *Arcana*, II, p. 242-43, 20 junii, 1563.

(8) *Ibid.*, p. 240, 15 maii 1563.

patriae salutem Huguenotorum triumpho anteponebat !

Antequam in Galliam proficisceretur, Dresdam ad Electoris jussa audienda, rediit ; deinde novis mandatis et novo pseudonymo, scilicet Ulrici Fribergii nomine, ut Germanus haberetur, instructus (1), ingressus est viam. Mense maio, Argentorati aliquot dies, ut equi defatigati se reficerent, constitit, ubi dominam de Roye, Condaei socrum, reperit ; quae, quamvis a Regina Matre, Catharina revocaretur, Heidelbergam tamen, ad Palatinum et Landgravium Hessiae salutandos contendit (2). A Langueto petiit, ut ipsius reditum exspectaret, at longiorem moram accipere, fortasse et nimio apparatu iter facere Languetus noluit (3).

Non sine periculo Galliam, Lutetiam usque trajecit. Ab urbe Metensi perpetuis militum stationibus occurrit, « qui « magno odio flagrabant adversus Germanos » ; ei tamen, quamvis vestitu potius germanico quam gallico uteretur, nemo quidquam injuriæ contulit, et Lutetiam incolumis pervenit (4) ; hic vero omnia ita perturbata vidit, ut eum propemodum poeniteret venisse ; namque in duas magnas factiones divisa erat Gallia, et quotidie catholici protestantesque invicem lacerare parati esse videbantur. Nihilominus Languetus Lutetiae haesit, et ut ab Electore jussus erat, novum bellum avertere conatus est : Galliam quasi « theatrum « aliquod » depingebat, in quod totius Europae oculi conjecti erant (5) ; principibus autem germanicis cogitandum esse suam rem agi, paries cum proximus arderet ; incendium enim in Gallia excitatum, se nisi restingueretur extra fines Galliae extensurum (6). Elector epistolas Langueto dederat, ad Condaeum (7), Amiralium (8), et quosdam alios

(1) *Arcana*, II, p. 238-40, 26 april. 1563.
(2) *Ibid.*, p. 240-42, 15 maii 1563.
(3) Cf. D'Hozier, *Op. cit.*, II, p. 25.
(4) *Arcana*, II, p. 242-45, 20 junii 1563.
(5) *Ibid.*, p. 198-203. Kal. febr. 1562.
(6) *Ibid.*, p. 220, 29 april 1562.
(7) *Ibid.*, p. 237.
(8) *Ibid.*, p. 238.

quibus pacem factam gratulabatur; Amiralius pro litteris gratias egit, atque Electori responderi jussit, se non ideo abesse ab aula ut otium sectaretur, sed quod praesentiam suam iis ingratam esse intelligeret, qui rerum potirentur; si autem revocaretur, libenter ad publicas res accessurum (1).

A mense junio 1563 usque ad aestatem sequentis anni, Languetus Lutetiae remansit, longas de omnibus, praecipue de gallicis rebus « relationes » ad Mordesium mittens (2), modo de Gallorum adversus Anglos bello, modo de concilio Tridentino, de quo olim « discursum » scripserat (3), modo de Universitatum statu in Gallia. Quam Elector in scribendo diligentiam et assiduitatem, gratissimam habebat (4).

Ad Camerarios quoque Languetus interdum scribebat; Joachimo patri nuntiabat studia Lutetiae jamjam ad novum splendorem restitui, et magnum concursum ad Ramum fieri qui Aristotelem, a Turnebo defensum, oppugnaret; claros juris professores etiam, Cujacium, Donellum, Contium, in urbe Biturigum docentes, nominatim ei indicabat (5). Camerarium autem filium, qui medicam artem colebat, de primis Galliae medicis, Simone Baldichio et Ludovico Dureto Lutetiae, Rondeletio Montepessuli, certiorem faciebat (6). Ceterum si non securam at dulcem sane vitam Languetus Lutetiae degebat, quippe qui multorum doctorum amicorum commercio frui posset; quosdam interdum domum invitabat, atque anno

(1) *Arcana*, II, p. 245-48, 29 junii 1563.

(2) Duas circiter per mensem.

(3) Cf. *Arcana*, II, p. 71, ssq. « Discursus de synodo » sic incipit : « Quamvis « Imperator et Reges Galliae et Hispaniae serio expetant synodum, hoc tamen non « ideo faciunt, quod cupiant aliquid recte in ea constitui, quantum ad summam « religionis attinet, sed necessitas cogit eos aliquid tentare, etiamsi de eventu « non bene sperent. »

(4) *Arcana*, II, p. 270-71. Mordesius Langueto, 29 dec. 1563.

(5) Ep. ad Camerarium patrem, 11, 13 et 16 (1563-65).

(6) Ep. ad Camerarium filium, 5, p. 165-67. Falso quidem ut pridie nonas martii *1563* scripta datur, nam tunc Languetus Lutetiae non erat; annum verisimiliter *1564* intelligere oportet.

1561 simul Turnebum, et Auratum (1), eruditissimos viros, Balduinum jurisconsultum (2), Sambucum historicum (3), Carolum Clusium (4), praeclarum herbarium, et Georgium Buchananum, Scotiae poetam et historicum, convivas habuerat (5). Praeterea in domo Andrei Wecheli, typographi, vivebat, quocum arctam contraxerat amicitiam.

Vitae tamen mutandae cupiditas Langueti animum, anno 1564, subiit, ut ex epistola ad Mordesium scripta patet; in qua se perpetuo inter factiones aestuantem anxiumque vivere queritur. Conditionem novam, fortasse legati munus apud Palatinum Electorem aut Landgravium Hessiae abnuit, ignorationem linguae germanicae sibi nimio impedimento fore putans; sed alia fingit consilia, et in eo est ut sua principi Arausionensi officia, ad parvum ipsius dominium in Gallia Narbonensi gubernandum, proponat. Addit etiam haec : « Turpe judico vivere in otio, et in nulla re prodesse « Reipublicae aut Ecclesiae Dei » (6). Quae omnia satis mira mihi videntur, cum Languetus jam diu Electoris Saxoniae legatus esset.

Quidquid id est, in Germaniam paulo post remeavit Languetus, ut Mordesii de his omnibus sententiam audiret. Lipsiae Joachimum Camerarium, Dresdae Mordesium vidit, quorum familiaritas, animum afflictum recreavit (7). Postquam in aula Caesarea legatione quadam, de qua nihil certius habemus, functus fuit (8), ad Imperii conventum, Spiram missus est (9). Ita in dies magis Elector Saxoniae ejus opera

(1) Joannes Dorat (1510-88), ab anno 1560 graecae linguae professor in schola dicta « Collège de France ».

(2) Natus erat in Atrebatum urbe, anno 1526. Mortuus est anno 1573.

(3) Anno 1531 in Ungaria natus erat. Mortuus est Viennae, anno 1584.

(4) In Atrebatum urbe natus (1526), Lugduni Batavorum obiit, anno 1609.

(5) Cf. Ep. Langueti ad Buchananum. Cf. « *Buchanani Opera omnia* », 2 vol. in-4°. Lugd. Bat. 1725, II, p. 764-65.

(6) *Arcana*, II, p. 290-94. Lutetiae, 8 maii 1564.

(7) Ep. 34 ad Camerarium patrem. Dresdae, 6 idus aug. 1564.

(8) *Ibidem*.

(9) *Ibid*. Ep. 15, p. 35-38. Cf. *Arcana*, II, p. 295-97. Spirae 7 nov. 1564.

utebatur. Mense novembri 1564, rursus in Galliam ire jussus est, nedum in Germania, ut falso dictum ést, hiemem consumpserit (1).

Difficillimum quidem habuit per Galliam iter : in Vogeso crebris imbribus torrentes ita intumuerant ut saepe longo circuitu pontes quaerendi essent. Praeterea cum pestis Argentorati saeviret, Lotharingi neminem e Germania venientem in urbes admittere volebant; in Lotharingiae vicis aegrotans, fere viginti dies immoratus (2), tandem Lutetiam pervenit (mense decembri), ibique per septem menses vixit.

Quo temporis spatio, de rebus gallicis praecipue retulit: scilicet tum Amiralii consilium laudabat, qui magnam in Florida coloniam instituere intendebat, in quam tantummodo Huguenoti mitterentur (3), « pulchrum inven- « tum ad purgandam Galliam iis hominibus qui cuperent « bella civilia resurgere » (4); tum de Nostradamo, Regis medico, scribebat et, quaecumque ille praedicebat, quamvis arbitraretur ista nihil aliud esse quam « nugas nugacissimas », Mordesio mittebat (5). At simul Languetum nulla res, quae quidem vel minimi momenti esset, in Europa, fugiebat; Mordesium de Turcis in Italiam invadere paratis, aut de conjugio Elisabethae, Angliae Reginae certiorem faciebat. Ab initio regni Elisabetham multi principes uxorem ducere in animo habuerant (6); Languetus, qui in Anglia fuerat, et res anglicas studiose respiciebat, saepe de « anglico conjugio » verba faciebat (7); Elisabetham procos omnes anxios relinquentem, et Robertum Dudlaeum, nobilem Anglum, qui postea Leicestriae comes creatus fuit, favore et

(1) Cf. Chevreul, *Op. cit.*, p. 60.
(2) *Arcana*, II, p. 297-302. Lutetiae, 12 dec. 1564.
(3) *Ibid.*, p, 306-308. Lutetiae, 22 martii 1565.
(4) *Ibid.*, p. 308-309. 2 april. 1565.
(5) *Ibidem.*
(6) Rex Hispaniae, Carolus archidux, Filius Regis Succiae, Dux Adolphus Holsaticus et ceteri.
(7) Cf. *Arcana*, II, Ep. 3, p. 19-20.

fortasse amore prosequentem depingebat (1); cum tamen sub finem anni 1564, Regina Suecico principi, Joanni, nuptura esse videretur, Languetus a Mordesio petiit, si nuptiae celebrarentur, ut in Angliam mitteretur, quia ibi in aula « plurimos notos » haberet (2). Quod propositum ad irritum cecidit. Ceterum Languetus de Elisabethae conjugio jam satis perspicaciter judicabat, eamque suis nuptiis ad utilitatem regni callidissime uti, intelligebat. Suecum Regina, ut ceteros, avertit; anno 1565 autem, cum pontificiorum insidias reformidaret, quaesivit quid imminenti tempestati posset opponere; itaque, « ad suas artes » rediit et Caroli archiducis, catholici principis nuptias se expetere simulavit, quem, depulsa tempestate, ut antea contemptura erat (3).

Mordesius Langueti judicio multum tribuebat, et epistolas eo gratiores habebat, quo crebriores erant (4); eas enim, cum in Saxonia res publicas gereret, ad gubernandum quam utilissimas aestimabat. Mordesius autem anno 1565, cum propter negotium quoddam Viennae parum diligenter procuratum (5), favore Electoris excidisset, ex aula pulsus est. Quod quidem Langueto magno dolori fuisse verisimile est; nihil tamen in ejus epistolis de isto casu reperitur; post ultimam ad Mordesium epistolam, die 2 aprilis 1565 datam (6), nulla alia in « Arcanis » usque ad diem 17 novembris exstat; epistolae ad Camerarios de Mordesii sorte silent. Doctor Georgius Cracovius (7) qui, jus romanum Wittebergae antea professus, ab anno 1557 Electoris consiliarius jam erat, Mordesii munus obtinuit; cum Langueto quoque amicitia erat conjunctus. Ceterum non ad eum, sed ad Electorem ipsum Languetus posthac litteras misit.

(1) *Arcana*, II, Ep. 54, p. 138-139.
(2) *Ibidem*, Ep. 104, p. 297-302.
(3) Ep. ad J. Camerarium patrem, 21, p. 48-49. Lutetiae, 14 Kal. dec. 1565.
(4) *Arcana*, II, Ep. 107, p. 303-304. Dresdae, 6 febr. 1565.
(5) *Allgemeine Deutsche Biographie*. Vid. ad verbum « Mordeisen ».
(6) *Arcana*, II, Ep. 110, Ep. 111, cui anni indicatio deest, ante Ep. 110 certe ponenda est.
(7) Natus Stettini, anno 1525. † 1575.

Circa aestatem anni 1565 Languetus in Saxoni
venit, sed paucos dies ibi moratus, Lutetiam, n
menti mandatis instructus, reversus est, ita festi
J. Camerarium patrem quidem Lipsiae invisere p

Augusto nempe Electori, hoc anno 1565, grave
ab Ernestinianis, Wimariensibus ducibus, imminel
rum dum unus, Joannes Gulielmus, se pacis ama
bat, alter Joannes Fridericus cum quibusdam fact
nibus insidias consobrino suo Augusto strueba
Electoratu spoliaret. Praecipuus autem istius cons
Gulielmus Grumbachius erat, nobili quidem stirp
tali Francia natus, sed nefariis consiliis et mol
prima aetate magis quam virtuti et bonis artibus
Qui quamvis antistitum Wurceburgensium vasall
illis ad Albertum, marchionem Brandeburgensem
tunc temporis ducem, sese contulerat, quem ad
latrocinia impulerat; quibus auditis, Wurceburge
bachio feudum ademerat. At, post belli finem, Gru
bonis frustra repetitis, antististem Wurceburge
chiorem Zobelum,, anno 1558, per sicarios interf
cum vero scelus illud impunitum mansisset, Zob
sori litem renovare non dubitaverat, et, satis m
congregatis, Wurceburgum urbem, noctu ingre
puerat (anno 1563). Deinde ad Joannem Fridericu
rat, cujus patrocinium sibi comparaverat, « nidun
num ad quaevis facinora patranda » sic nactus (5
Friderici favorem Grumbachius blanditiis et inanib
sis adeptus erat, rustico puero et qui futura praevi

(1) Ep. 18 ad Camerarium patrem. Schenebergae, Kal.-aug. 1565.

(2) Cf. Scholz. *Op. cit.*, p. 30 ssq. — Cf. Chevreul, *Op. cit.*, p. 60-

(3) Languetus Grumbachium ita depinxit in opusculo : « *Histori*
« *susceptae a Caesarea Majestate executionis contra S. R. I.*
« *captae urbis Gothae, anno Domini 1567.* » Vid. Schardii, *Ss re*
car. 3 vol. in-4°. Basileae, 1567, III, p. 2275 ssq.

(4) Cf. Janssen : « *Geschichte des deutschen Volkes, seit dem*
Mittelalters. » Freiburg, 1885-87, in-8°, IV, p. 223 ssq.

(5) « *Historica descriptio...* » jam citata, p. 2277.

eum introducto, qui ambitioso isti principi Saxonicum Electoratum, imo et Germanicum Imperium pollicebatur (1). Grumbachius haud semel Electorem Augustum sicariis tentaverat. Elector igitur illas insidias reformidabat, atque ante omnia timebat ne Rex Galliae Joanni Friderico auxiliaretur, quocum per Petrum Clarum, Ernestum Mandeslavium et quosdam alios commercium et amicitiam inierat; Grumbachius ipse diu Regi Galliae inservierat, et milites pro eo in Germania conscripserat (2),

Langueto longa *instructione*, 27 julii 1565 Dresdae data, cura mandata est ut apud Galliae Regem causam Electoris tueretur, et Grumbachii calumnias refelleret, qui Augustum, quacumque ratione, gallici regni dignitati ac tranquillitati insidiari asserebat; Languetus Electorem « de impudentibus « turbulentae illius factionis mendaciis » excusare jussus erat, ac Regem hortari ne patrocinio augusto factiosos homines efferri et insolescere pateretur, invidiamque sibi apud Germanos omnes conciliaret (3). Praeterea Languetus alia jussa ab Electore coram accepit, cui filiam suam, natu maximam, Carolo nono connubio jungere erat propositum (4).

Initio septembris Languetus Lutetiam pervenit, et in aulam, quae tunc erat Santonibus properavit (5). In « *Arcanis* » unam tantum ad Electorem de eo itinere epistolam reperimus (6), in qua fere nihil novi narrat, quia se ab hostibus observari non ignorat; se omnia « coram » explicaturum nuntiat, ac fortasse in Germaniam protinus rediens has suas litteras praevertet (7). In quadam ad J. Camerarium patrem

(1) Cf. Janssen, *loc. cit.*, p. 225. Puer nominabatur Hans Tausendschoen.

(2) *Ibidem.*

(3) Cf. Marrium, *Op. cit.*, p. 38-49. — Chevreul, *Op. cit.*, p. 62-68 et App. 6.

(4) Cf. Scholz, *Op. cit.*, p. 34-35.

(5) Ep. ad J. Camerarium patrem. Lutetiae, 3 nonas sept. 1565.

(6) *Arcana*, I, I. Ep. 1, p. 1-.4 Parisiis, 17 nov. 1565. Fortasse haec epistola non prima earum est, quas Electori misit, ut dicit Haag *(loc. cit.)*; at falso ille quamdam epistolam ad Cracovium, 23 maii 1565 datam innuit; prima enim ad Cracovium epistola in « *Arcanis* » (I, I, p. 14-15), 8 Kal.-sept. 1566 data est.

(7) *Ibidem.*

epistola addit se a Rege Galliae optime exceptum esse, e cum eo aliquoties esse collocutum, res autem gallicas ess « inter spem et metum (1). » Pauca de consiliis inter Regi nam matrem et Albanum ducem, Baionae anno 1565 structis noverat, ac de Rege ipso bene sentiebat.

Quid autem, quod ad Grumbachiana negotia pertinebat tunc profecerit, ignoramus; at in Saxonia non diu mansit moxque in Galliam regressus est, novis mandatis instructus 25 febr. 1566 datis; quae quidem nondum edita in Dresda archivo Scholz legere et in libro partim referre potuit: Elec tor Regem Galliae monebat ne Grumbachio auxilium praes taret, qui nomine Regis ad scelerata facinora admittenda abuteretur, ac multis germanicis principibus mortem minar ausus esset; illud Joannes Gulielmus ipse Electori Lipsiae mandaverat (2).

De itinere Langueti fere nihil novimus, quia brevi temporis spatio, inter finem februarii et initium maii perfectum fuit, ac Languetus interdum nullas ad Electorem litteras misit; aulam tunc per Galliam vagantem secutus est, nec Lutetiam invisit (3). Deinde sub finem maii, Augustam Vindelicorum contendit, ad generalem Imperii conventum, ubi die 13 maii 1566, Grumbachius sociique ejus et receptatores proscripti erant; Saxoniae Electori omnia ex animi sententia successerant, cum et Joannes Fridericus proscriptus fuisset, et Elector Palatinus, quem ceteri principes ut Calvinistam opprimere voluerant, incolumis et integer evasisset (4).

Vix Languetus Electori Augusto rationem eorum quae in Gallia egerat reddidit, utpote qui protinus Lutetiae recurrere jussus sit. Satis moeste tunc animadvertebat, fatum proprium esse ut perpetuo vagus et miser esset (5); at Electori

(1) Ep. ad J. Camerarium patrem, p. 48-49, 14 Kal.-dec. (18 nov.) 1565.

(2) Cf. Scholz, *Op. cit.*, p. 36-37.

(3) Ep. 6 ad J. Camerarium filium, p. 167-69. Augustae Vindelicorum, 8 Kal. junii (25 maii) 1566.

(4) *Ibidem.*

(5) *Ibidem.*

Augusto quam maxime opus erat diligenti apud Regem Gallorum legato, qui Grumbachii et Joannis Friderici consilia et molitiones discuteret; Augusto enim ab Imperio cura data fuerat, ut judicium proscriptionis exsequeretur, et proscriptos obsideret, qui se armis tueri volebant, et in urbem Gotham munitissimam ac monte Grimmenstenio tectam, se receperant. Languetus igitur, in tanta domini sui necessitate, se ei totum addicere non dubitavit, ac Lutetiam reversus, ibi a mense julio 1566 ad mensem martium 1567 remansit.

Ei quidem proscriptorum mendacia refutanda, atque insidiae (1) vitandae fuerunt, nam Ernestiniani multorum animos in Gallia per suum emissarium, Petrum Clarum et alios ejusmodi homines occupaverant (2). Cum autem Joannes Fridericus et Grumbachius, qui semper stipendium a Rege gallico accipiebat, Carolo nono scriberent se ob officia ipsi praestita oppugnari, Languetus Electorem illa suspicione liberavit (3). Adeo etiam in aula gallica valuit, ut nullum auxilium proscriptis mitteretur. Jam 8 Kal. sept. (25 augusti) 1566, ad Cracovium scribere poterat : « De Grombachio jam « est hic altum silentium, et, absente Petro Claro, nemo est « in aula qui ejus faciat mentionem » (4).

Pleraeque Langueti epistolae annorum 1566-67, in Dresdae archivo ineditae diu manserunt, ubi Scholz eas reperit; in « *Arcanis* » enim, nulla a mense septembri 1566 ad mensem augustum insequentis anni exstat epistola. Languetus totam hiemem Lutetiae egit (5), ubi catarrhis afflictus, vehementer aegrotavit (6). Interea hostibus Electoris in Gallia

(1) Ut constat ex epistola, anno 1576, Joanni Jennitio, Electoris secretario, scripta. *Arcana*, I, I, p. 196-198.

(2) Cf. Scholz, *Op. cit.*, app., 1. Ep. Langueti : « Non metui ne etiam potentiores offenderem pertinacius pugnando et ipsis liberius contradicendo... Scio « etiam istam meam libertatem fuisse in causa *ut factio illa... meae vitae variis modis insidiaretur* » (1567).

(3) *Arcana*, I, I, p. 4-8, 12 julii 1566.

(4) *Ibid.*, p. 14-15, 8 Kal. sept. 1566.

(5) Erravit Chevreul cum dixit Languetum in Germania tunc haesisse, et in Galliam tantum mense febr. 1567 contendisse. *Op. cit.*, p. 74.

(6) Cf. Ep. 27 ad Camerarium patrem, Lutetiae, 4 Kal. febr. (29 jan.) 1567.

resistere non desiit, qui falsis rumoribus eum deci
bantur, cum tunc Joannem Fridericum cum Elect
ciliatum esse spargerent (1), tunc Regem Galli
promisisse, si quis Ernestinianos oppugnaret, se
suppeditaturum (2). Ut de ea re certior foret El
mandata, Stolpa 24 dec. 1566 data, Langueto m
gem veteris Albertinianorum amicitiae memore
eumque hortaretur ne Gothanis proscriptis succu
in eo erat ut ipse obsideret (3). Quibus mandat
Languetus Regem Galliae, die 3 febr. 1567, ad
eo, remotis arbitris, diutius collocutus est. Rex a
alienatus visus est, querens hunc Imperatori M
operam praestare, ut omnes principes Imperii o
amicos Galliae in Germania obrueret, et Hispa
consiliis faveret (4). Langueto hoc multi laboris fui
a falsa praesumptione abstraheret, at tandem, l
tum consecutus, Carolo nono persuasit, Grumba
gotia ad gallicas res nullo modo pertinere (5). Re
benevolentiam et veterem cum eo conjunctionem
pluris facere declaravit, quam Joannis Friderici
que quidquam se auxilii pollicitum esse aut missu

Regis responsum Languetus ipse Electori cora
voluit, ac, quamvis ab Augusto monitus esset ne
niam tunc, ob hostium insidias, rediret, iter ingre
in castra ad Gotham properavit (7). Ibi litteras
Electori reddidit, quibus Rex se foedus cum Imp
pibus inire velle asserebat, et Ernestinianos eorum
mittebat (8).

(1) Cf. Scholz, *Op. cit.*, p. 37. Ep. ineditam Langueti ad Ele
4 oct. 1566 datam.
(2) *Arcana*, I, 2, p. 132. (Oct. 1575 verisimiliter.)
(3) Cf. Scholz, *Op. cit.*, p. 40. « Instructiones » ineditas refert.
(4) *Ibid.* Ep. inedita ad Electorem (Lutetiae, 28 jan. 1567)
(5) Cf. Scholz, *Op. cit.*, p. 41. Ep. ineditam Langueti ad Electore
refert.
(6) *Arcana*, I, 2, p. 132.
(7) *Ibid.*, et p. 196-97. Ep. ad Jennitium.
(8) Cf. Scholz, *Op. cit.*, p. 42.

Saxoniae Elector, cum nihil jam a Gallia timendum haberet, Gothae obsidionem eo furiosius urgere coepit. Languetus autem qui, medio mense martio, Gotham pervenerat (1), ibi usque ad urbis deditionem remansit; sic obsidioni partim adfuit, quam deinde descripturus erat. Joannes Fridericus et Grumbachius se strenue defenderunt; ut civium fortitudinem augerent, eis persuaderant bellum ab Imperatore exstirpandae religionis causa susceptum fuisse; at mox in urbe rerum omnium inopia crevit, thesauro exhausto et commeatu deficiente. Cum multi urbem dedere vellent, Joannis Friderici imperium recusantes, rebellarunt et ab Augusto deditionem impetrarunt, his conditionibus ut conjurati et Joannes Fridericus traderentur (2), Gothanique cives se Joanni Gulielmo, qui obsidioni interfuerat, homagio obstringerent. Die 13 aprilis 1567, Elector Augustus triumphali pompa in urbem ingressus est.

Post captam et solo aequatam urbem Gotham, Languetus se in Saxoniam recepit; Dresdam primo Electorem comitatus, deinde Wittebergae amicorum (praecipue Peuceri) consuetudine, et aliquot « septimanarum » otio, animum et corpus recreavit (3), adeoque ista tranquilla vita oblectatus fuit, ut rebus publicis valedicere constituerit, et ab Electore dimissionem petierit (4); in Galliam redire cupiebat ubi pax nuper erat facta, ut in patria religionis libertate tandem concessa frui posset (5). Ceterum operam suam Electori semper navare paratus, se ei e Gallia quid rerum ibi gereretur scripturum, et ejus famam adversus malevolorum calumnias tuiturum pollicebatur (6). Elector Langueto negatam primum

(1) Ep. 28 ad Camerarium patrem. E castris ad Gotham, 21 Martii 1567.

(2) Joannes Fridericus diu in carcere haesit. Ceteri tormentis crudeliter lacerati sunt : Cracovius autem Grumbachii et Bruckii, Joannis Friderici cancellarii, lacrimis flecti non potuit, qui ambo vivi in partes quatuor dissecati sunt Vide Langueti narrationem, *loc. cit.* — Cf. Janssen, *Op. cit.*, IV, p 234-35.

(3) Cf. Marrium, *Op. cit.*, p. 55. Cf. Ep. 29 ad Camerarium patrem, p. 66 Wittebergae, 6 Kal. junii 1567.

(4) Cf. Scholz, *Op. cit.*, app., 1. Languetus ad Electorem, 29 junii 1567.

(5) Cf. *Arcana*, I, 2, p. 132.

(6) *Ibid.*, I, 1, 8 augusti 1567.

dimissionem tandem ea conditione concessit, ut in Misniam reverteretur, si Gallia denuo turbaretur (1). Langueto epistolas semper missuro annuos ducentos thaleros, laborum praemium, Elector promisit (2).

Tunc primum Languetus annuum stipendium ab Electore habuisse videtur, cum antea fere nihil pro officiis acciperet. Anno quidem 1561 vidimus Electorem ei centum thaleros misisse (3), at incertum est utrum id saepe factum sit, necne: anno 1564, Languetus Mordesio pro beneficiis gratias agebat, sed addebat se partem maternae haereditatis Huguenotis auxiliando insumpsisse (4). Verisimile est Languetum usque 1567 munera tantum aliquot ab Electore interdum accepisse. Ab isto autem anno ducentos thaleros, quamdiu in Gallia aut in vicinis regionibus haesit, stipendium habuit (5); postea ei Viennam misso quingenti floreni ultra illos ducentos thaleros numerati sunt (6).

E Saxonia primum Languetus Francofurtum, ad Wechelum typographum, profectus est, unde Lutetiam recta contendere in animo habebat (7); sed jam bellum civile in Gallia, religionis causa, resurgebat. Nihilominus Languetus, iter ingressus, usque ad oppidum *Bar-le-Duc* venit, ubi per aliquot dies substitit; cum vero sine magno periculo longius progredi non posset, Argentoratum contendit, sperans inde se quam facillime et optime de causis et vicibus belli auditurum (8). In qua urbe, exceptis quibusdam per Germaniam peregrinationibus, et uno brevi in Galliam excursu, duos fere annos haesit. Francofurtum, cujusque mercatus tempore, id est vere et autumno, ire solebat; nempe tunc e tota Europa

(1) *Arcana*, I, 2, p. 132.
(2) *Ibidem*.
(3) *Ibid.*, II, p. 133-135, 3 sept. 1561.
(4) *Ibid.*, p. 290-94, Lutetiae, 8 maii 1561.
(5) *Ibid.*, I, 2, p. 132.
(6) *Ibidem*.
(7) Ep. 21 ad J. Camerarium patrem, p. 69 ss., 3 Kal. oct. (29 sept.), 1567.
(8) *Arcana*, I, 1, p. 19-25. Argentorati, 22 oct. 1567. Cf. Ep. 8 ad J. Camerarium filium, p. 171-76. Prid. nonas jan. (4 jan.) 1568.

mercatores et otiosi, milites cujuslibet stipendii cupidi, episcopi, principes, legati, professores, erratici tandem homines Francofurtum conveniebant; qua multitudine collecta, urbs quasi ingens emporium subito evadebat, ubi nova ex omnibus orbis partibus circumferri, et omnis generis pactiones fieri solebant (1); hoc vero doctos viros et Languetum praesertim alliciebat, quod praecipui Europae librarii eo ad librorum commercium faciendum confluebant (2).

Argentorato Languetus de rebus gallicis constanter Electori retulit; bella enim civilia in Gallia ea esse, e quibus pax totius orbis ac tranquillitas penderet putabat, Germaniaeque principes monendos esse censebat, ne Huguenotos a pontificiis opprimi paterentur; nempe catholicos, iis obrutis, ceteris evangelicis vim inferre non dubitaturos (3). De istis Augustum Electorem per annos 1568-69, iterum atque iterum admonuit. Interea tristem patriae statum deplorabat, ac post pugnam apud Sandionysium (10 nov. 1567), non multum abfuit quin in Huguenotorum castra proficisceretur. Argentorati tamen constitit, cum eis se magis profuturum crederet (4), si Germanis persuaderet ut bello se immiscerent; ceterum jam magis Germaniae metuebat quam Galliae, quam sine spe interituram existimabat (5). Talia Languetus usque ad pacem 23 martii 1568 apud *Longjumeau* factam, in epistolis exponere non desiit.

Interea breve ad principem Arausionensem, Gulielmum, iter fecit, qui eum jam diu norat, ac tunc bellum adversus

(1) Cf. Anquez : « *Henri IV et l'Allemagne, d'après les mémoires et la cor-* « *respondance de J. Bongars* », 1 vol. in-8°. Paris, 1887, p. XLVII, ubi hoc de Francofurto Schombergii verbum refert : « C'était là où la grande cloche se venait « toujours fondre ».

(2) Cf. H. Stephani « *Francofordiense Emporium* », in-8°. Lutetiae 1574. Ab anno 1564, librarius quidam augustanus, G. Willerius, quotannis catalogum librorum Francofurti venditorum publicavit. Cf. Willems : « *Les Elzevier* », in-8°, 1880, p. 72.

(3) *Arcana*, I, I. Ep. 8, p. 19-25.

(4) Ep. ad Camerarium filium, p. 171 ssq.

(5) Ep. 35 ad J. Camerarium patrem, p. 79-83. 8 Kal martii (22 febr.) 1568.

Hispanos movere incipiebat; Gulielmus Dillenbu
catu Nassavio, vivebat, ex quo Belgium fugiens
Cum autem anno 1568 Albani accusationibus (1)
proditionis et perduellionis reum declarabat, resp
let, doctos quosdam viros in consilium adhiber
Languetumque petiit ut ad se veniret (2); Francof
Languetus Dillenburgum mense martio 1568 cont
que duodecim aut tredecim dies moratus est (3)
vero, paulo post editus, in quo omnia adversus
crimina diluta apparent, minime Langueto adscrib
ut nonnulli putarunt; princeps eum tantum de iis
serat consuluit (4).

Dillenburgo Francofurtum Languetus remeavit, u
torem hortatus est ut Huguenotorum causam in G
ret, et Reginae Matri pacem factam gratularet
quidem jam ante quinquiennium post Ambosiana
fecerat (5). Cum Elector legatum tunc mittere
Langueto tamen pace uti placuit, ut patriam invis
que sub finem julii 1568 Lutetiam usque excurrit, u
taretur, num omnia jam plane desperata essent (6)
unum mensem, non sine periculo, vixit, nec quidq
tori scribere ausus est, cum sciret tabellarios in reg
observari, et litteras intercipi. Regem febre aeg
fratrem Andegavensem ducem, fere ipso Rege pot
Reginam Matrem cum Lotharingico cardinali omn
nantem reperit. Cancellarius, quem dum rediret vi

(1) *Arcana*, I, I. Ep. 28, p. 60-61, Kal. april 1568.
(2) *Ibid.*, p. 58-59. Francofurti. 13 martii 1568.
(3) *Ibid.*, p. 60-61.
(4) Cf. Groen van Prinsterer : « *Archives ou Correspondance in*
« *Maison d'Orange-Nassau* », 1re série. Lugd. Bat. 1836, ssq , III,
(5) *Arcana*, I, I, p. 60-61, Kal. april 1568.
(6) *Ibid*, p. 66-68. Argentorati, 11 julii 1568.
(7) Hospitalem ibi cancellarium Languetus appellat, non Morviller
tat Chevreul (*Op. cit.*, p. 84). Regia nempe sigilla jam 24 maii 1568
Aurelianensi episcopo, data fuerant; at sigilla tantum *ad interim* ac
villerius, nec publice cancellarius creatus fuerat; anno 1569 primum
vere fungi coepit. Ceterum Hospitalis *cancellarii titulum* servavit.

regium consilium aliquandiu jam non accesserat, quia Regina et consiliarii ne conspectum quidem ipsius ferre poterant (1). Res ad bellum inclinabant, et cardinalis Lotharingicus meditabatur qua ratione omnes protestantes insidiis opprimeret (2).

Cum, mense septembri, in Germaniam Languetus reverteretur, Petrum Ramum comitem habuit (3); qui Andrei Wecheli jamdiu amicus, Langueto quoque notus erat, et anno 1568 a Rege impetraverat ut sibi Academias exterarum regionum invisere liceret (4). Secundum Marrium, Ramus se tertio bello civili subducere volebat, « quod praevidebat vir sagacissimus (5). » Quidquid id est, Ramus et Languetus iter una fecerunt, ac, quibusdam periculis diplomatis gratia a Rege Carolo dati (6) vitatis, Argentoratum pervenerunt, ubi eos Joannes Sturmius, Academiae recens conditae rector, optime excepit (7). Ramo relicto, Languetus Francofurtum et inde in Saxoniam se recepit; per duos tresve menses ibi tranquillus haesit, Lipsiamque quasi portum habuit, in quo se variis tempestatibus jactatum ac pene naufragum reficeret (8).

Postquam paulisper in otio vixit, Cassellas ad Landgravium Hessiae, Gulielmum, et deinde Coloniam profectus est; in itinere, equo lapsus, alterum crus sibi valde afflixit, quod ei morae alicui fuit. Initio januarii tandem Coloniam pervenit,

Vignay vivebat, prope urbem Stampas. Cf. Baguenault de Puchesse. « *Jean de Morvilliers, évêque d'Orléans, garde des sceaux de France* » (1506-77), 1 vol. in-8°, 1869, p. 209-16.

(1) *Arcana*, I, I, p. 69-72. Francofurti, 20 sept. 1568.

(2) *Ibidem.*

(3) Ep. 38 ad J. Camerarium patrem, p. 88-89.

(4) Cf. C. Waddington « *Ramus, sa vie, ses écrits et ses opinions* », in-8°, Lutetiae, 1855, p. 190, ssq.

(5) *Op. cit.*, p. 52.

(6) Cf. C. Waddington, *loc. cit.*

(7 Cf. Schmidt : « *La vie et les travaux de Jean Sturm* », 1 vol. in-8°. Argentorati 1855, p. 151.

(8) *Arcana*, I, I, p. 72. Lipsiae, 12 oct. 1568.

unde Electori de rebus belgicis referre volebat (1). Ibi Principis Arausionensis uxorem, Annam (2), invenit, quae cum eo saepius collocuta est; sed cum Anna persuasum haberet, eum belgicorum motuum exitum praedicere posse, Languetus ejus interrogationes jocis eludere cogebatur (3). Interea Albani gubernationi praecipue studebat (4), Germanosque istius crudelitatem parvi pendere dolebat; Albani verbum postea referebat : « Horribiles Germani sunt aspectu *lupi, sed edentuli* » (5).

Colonia Francofurtum ivit, ubi Imperii comitiis adfuit (6); inde Argentoratum denuo rediit, quo propius Galliam esset (7). Iter etiam ad Helvetios sibi proposuerat, sed non exsecutus est, et Argentorati per duos menses remansit, belli gallici eventus observans. Amiralium, post Condaei mortem, fere solum Huguenotorum ducem esse intelligebat, cui adeo confidebat ut Huguenotos, eo vivente, opprimi non posse affirmaret (8). Ceterum Languetus Electorem Saxoniae ceterosque Imperii principes sine intermissione hortabatur, ut se rebus gallicis immiscerent; anno 1569 in eo fuit ut, quod Languetus cupiebat, efficeretur. Nam, die 25 augusti, ad Theodorum Bezam scribere poterat : « Credo te non « ignorasse Imperatorem id agere ut ipse et aliquot princi- « pes germanici constituantur arbitri pacis inter Regem et « nostros, et ob eam rem, institui solemnem legationem in « Galliam ab ipso Imperatore, sex Electoribus, domo Aus-

(1) *Arcana*, I, I, p. 74-77. Coloniae, 5 jan. 1569.

(2) Mauritii, Saxoniae Electoris, filiam. Marrius et alii falso putarunt Languetum de Carola Borbonia locutum esse; quae tunc Jouarrii monasterii abbatissa erat, e quo anno 1572 evasura erat; Gulielmum Arausionensem, anno 1575, nupsit. Cf. d'Hozier, *loc. cit.*, p. 36.

(3) Ep. 39 ad J. Camerarium patrem p. 99. Coloniae, idibus (13) febr. 1569.

(4) *Arcana*, I, I. Ep. 41, p. 87-88. 18 martii 1569.

(5) *Decades tres Epistolarum*..... Ep. Comitis Ludovici de Wittgenstein ad J. Camerarium. Martii 1571, p. 21-22.

(6) *Ibidem*. Ep. 1. Languetus ad Com. L. de Wittgenstein. Francofurti, 3 Kal. junii (30 maii) 1569.

(7) *Arcana*, I, I. Ep. 48, p. 101-103. Francofurti, 15 junii 1569.

(8) *Ibidem*. Ep. 52, p. 110-113. Argentorati, 15 augusti 1569.

« triaca, duce Bavario, Hessio Landgravio et episcopo « Würzburgensi. Constitutum est autem ut hic conveniant, « et dictus fuit huic rei dies vigesimus quartus superioris « mensis, qui, licet dudum praeterierit, nondum tamen ad- « venerunt Palatinenses, Saxonici, et Brandeburgenses, et « Colonienses » (1). Sic jam parabatur legatio germanica, quae tantum, post multas moras, mense decembri 1570, in Galliam profectura erat.

Argentorati aut Francofurti, aliquot menses (2) moratus est Languetus; mense septembri 1569 (3) primum, Francofurti Philippum Mornaeum Plessiacum, adolescentem novit, quocum postea arctam amicitiam contracturus erat; de multis tunc ei consilia dedit, eumque Venetias pergentem, gallico in illa urbe legato, commendavit (4).

Interea bellum gallicum attentis oculis sequebatur : Huguenotorum res, post cladem apud Moncontour acceptam, pene desperatas, Amiralius reparaverat (5). Pax tamen quam maxime necessaria esse videbatur, ac Languetus ab Electore semper petiebat, ut in negotio ad pacem gallicam pertinenti auctoritatem suam interponeret (6); de magna germanica legatione in Galliam Cracovio simul scribebat, Lazarum Schuendium, Imperatoris legatum (7), ad hanc ducendam

(1) Bibl. Sanctae Genovefae. *Epistolae haereticorum*, t. II. Ep. inedita Langueti ad Bezam. Argentorati, 8 Kal. sept. (25 aug.) 1569.

(2) Fortasse anno 1569 Languetus brevem in Galliam excursum fecit, ut ex his verbis cujusdam epistolae conjici potest, anno 1570 scriptae : « Cum superiore « anno mitterer a Vestra Celsitudine in Galliam... ». *Arcana*, I, I. Ep. 87, p. 161-62. At Languetus certe Lutetiam non attigit. Cf. d'Hozier, *loc. cit.*, p. 36.

(3) Falso Haag (*Op. cit.*, in verb. Mornay) id anno 1566 evenisse contendit.

(4) Cf. *Mémoires de Madame de Mornay*, 2 vol. in-8°. Lutetiae 1868-69, t. I, p. 27. — Vid. « *Histoire de la vie de Messire Philippe de Mornay.* » Lugd. Bat. 1647, in-4°, p. 12. — Chevreul, *Op. cit.*, p. 87 dicit Languetum Mornaeo multa communicasse ut historiam sui temporis scriberet.

(5) *Arcana*, I, I. Ep. 59-66.

(6) *Ibidem*. Ep. 82, p. 154-56, 22 maii 1570. Ad Electorem.

(7) Lazarus Schwendi, baro de Hohenlandsberg, natus in Schwendi (Austria) a. D. 1525, mortuus in Kirchhofen, a. D. 1584. Imperatoris primum exercitus dux fuerat. Anno 1568, armis depositis, legatus factus est.

maxime idoneum esse asserens, cum linguae gallicae esset peritus, et in religionis rebus maxime versatus (1).

Mense junio 1570, Heidelbergae Electorem vidit, qui eo ad celebrandas nuptias filiae Elisabethae cum Joanne Casimiro, palatino principe, venerat (2); quod conjugium, cum duas e praecipuis Germaniae domibus consociaret, et Elisabetham lutheranistam Joanni Casimiro calvinistae conjungeret, Languetum magno gaudio implevit; nempe Germaniae et Galliae simul id usui fore sperabat. De iis quae Heidelbergae acta sunt nihil certius e Langueti epistolis novimus, sed in oratione apud Regem Carolum nonum, sub finem anni 1570, a Langueto habita, videmus multos principes Heidelbergae cum Saxonico et Palatino Electoribus fuisse, atque inde litteras ad Regem Galliae misisse, ut eum ad pacem faciendam hortarentur; quibus Rex Galliae benigne respondit (3).

Heidelberga Languetus, Saxoniae plenipotentiarius, ad conventum generalem Imperii Spiram missus est (4); ubi inter alia, pro Electore Augusto pecuniam repetiit, in bello Gothano impensam, quia inter Ordines Imperii convenerat ut bellum illud communibus gereretur sumptibus (5). Dum Spirae Languetus erat, pax tandem in Gallia facta est (Paix de Saint-Germain). Eodem fere tempore Imperator filiam suam, Regi Carolo sponsam, in Galliam misit (6). Quae cum ita essent, denuo de legatione germanica in Galliam mittenda loqui coeptum est, ac simul Saxoniae Elector, privatorum negotiorum causa, legatum apud Regem Galliae habere voluit. Jam mense martio 1570, Languetus Electori nuntiaverat conspirationem renovari quae ante Gothanam obsidionem a

(1) *Arcana*, I, I. Ep. 81, p. 153-54. Ad Cracovium.

(2) Cf. Chevreul, *Op. cit.*, p. 88-89.

(3) Cf. Orationem Langueti pro principibus Germaniae. « *Mémoires de l'Estat de France sous Charles IX* », I, p. 32-38 (auctore Goularto, Middelburgi 1576). — La Popelinière : « *Histoire de France* » ab anno 1550-1581, II, fol. 3-4. — Vide etiam Chevreul, *Op. cit.*, App. 8, p. 220 ssq.

(4) *Arcana*, I, I, p. 156-57. Spirae, 26 julii 1570.

(5) Cf. « *Historicam descriptionem captae Urbis Gothae* » *loc. cit.*, p. 2275.

(6) *Arcana*, I, I, p. 166-67. Spirae, 9 oct. 1570.

quibusdam adversus principes instituta fuerat; Imperium germanicum conjurati ad formam regni gallici redigere decreverant, scilicet ut Imperator principibus ac nobilibus pariter imperaret; dux tantum conjuratis deerat, qui inter Rhenum et Saxoniam praecipue pollebant, stipendiaque a Rege Galliae postulabant (1). Electori Saxoniae ante omnes perniciem minabantur, quod alteram conjurationem, a Joanne Friderico ductam, oppresserat; Augusti igitur quam maxime intererat, ut Regis Galliae amicitiam assequeretur. Itaque non solum generalis legationis particeps esse constituit, in qua Jonas de Tzeschau pro Saxonia acturus erat, sed etiam alterum legatum, Hubertum scilicet Languetum, seorsum mittere, qui res proprias procuraret (2).

Langueto autem concessum est, cum aliis germanicorum principum legatis iter facere; sic facilius negotium tecturus erat, quod *privatim* geri necessario oportebat; id enim in consilio regio expedire non poterat, cum cardinalis Lotharingicus et pontificii praevalerent (3), quibus Languetus foedus cum haeretico Electore minime proponendum esse judicabat. Epistolam tantum, Reginae Matri, Catharinae, reddendam secum abstulit, in qua Elector eam rogabat ut Languetum audire dignaretur, fidemque iis quae relaturus esset adhiberet (4).

Antequam proficisceretur, Languetus Argentoratum excurrit, mense septembri, ut litem quamdam de Rothelini marchionatu, inter ducem Longuevillanum gallum, et Carolum, marchionem badensem, exortam, ex animi sententia componeret (5); quo facto, Spiram remeavit, unde iter gallicum ingressus est.

(1) *Arcana*, I, I, p. 142 ssq. Francofurti, 15 martii 1570.

(2) Scholz (*Op. cit.*, p. 46-48) id primus bene intellexit.

(3) *Arcana*, I, I, p. 164-66. 3 oct. 1570.

(4) Marrius (*Op. cit.*, p. 61-62), et Chevreul (*Op. cit.* p 93-94 et app. 7) istam epistolam, Lochow, die 20 sept. 1570 datam, retulerunt.

(5) Marrius (*Op. cit.*, p. 79-84) istud negotium falso anno 1575 aut 1576 actum fuisse dicit. — Cf. *Arcana*, I, I, p. 161-62. Argentorati, 14 Sept. 1570. — Cf. Chevreul, *Op. cit.*, p. 90-92.

Languetum falso Philibertus Marrius (1) Stettini conventui tunc adfuisse dicit, ad quem Imperator, Reges Galliae Poloniaeque et Elector Saxonicus, ut arbitri pacis inter Daniam Sueciam et urbem Lubeck, legatos miserant. D'Hozier primus Languetum per totum conventus illius tempus (inter menses julium et decembrem) in occidentali Germania haesisse demonstravit (2). Ceterum Joannes Messenius, in suecicis Annalibus (3), Ludovicum, comitem Oberstenium, et Ericum Volkmarum, Saxoniae legatos Stettini fuisse scripsit.

Nunc ad solemnem legationem redeamus, quae a tribus Imperii Electoribus, et quibusdam aliis principibus (4) ad Regem Galliae mittebatur, ut ei nuptias cum filia Imperatoris gratularetur, et eum ad pacem et *tolerantiam* erga Huguenotos tuendam hortaretur (5). Legati, qui sex numero erant, mense decembri Lutetiam attigerunt, postquam Galliae partem bello fere vastatam transierant (6). Cum autem tunc temporis Rex apud Villeriam-Cote-Retz (Villers-Cotterets) venaretur, eos ad se invitavit (7); legati Regem statim adire decreverunt, ac die 18 dec. 1570 Villeriam pervenerunt (8), ubi munere sibi dato functi sunt. Languetus propter gallicae linguae peritiam designatus est, qui Carolum nonum pro omnibus alloqueretur; unde multi falso arbitrati sunt eum legationis ducem fuisse (9). Orationem Languetus, ante-

(1) *Op. cit.*, p. 59-60. Thuanus (*loc. cit.*, lib. XLVII) idem narravit. — Cf. Treitschke, *Op. cit*, p. 18-19.

(2) *Loc. cit*, p. 37-38.

(3) « *Scondiae illustratae, seu chronologia de rebus Scondiae* ». Stockholm, 1700. VII, 11-12.

(4) Electores palatinus, saxonicus, brandeburgensis; duces Richardus bavaricus, Julius brunswicensis, Ludovicus wirtembergensis, Albertus mecklemburgicus, Hessiae landgravius Gulielmus, Carolus marchio badensis, legationis participes erant.

(5) Cf. Orationem Langueti pro principibus Germaniae.

(6) Cf. Scholz, *Op. cit.*, app. 3.

(7) *Ibid.*, app., 2, ubi Scholz ineditam Langueti et Jonae de Tzeschau epistolam refert, 16 dec. 1570 datam.

(8) *Ibid.*, app., 4. Ep. Langueti ad Electorem, 3 jan. 1571.

(9) Cf. La Huguerye, *Mémoires inédits*, 3 vol. in-8°. Paris, 1877 sqq. I, p. 11.

quam proferret, quibusdam Huguenotis ostendit qui hortati sunt ut « punctum conservandae pacis » confirmaret; secretis enim Regis consiliis diffidebant et pax insidiarum plena iis esse videbatur (1).

Die 20 dec. 1570, circa tertiam horam post meridiem, germanici legati ante omnes regni nobiles a Rege solemniter excepti sunt. Tunc Languetus gallica lingua orationem satis longam habuit, qua Regi nuptias et pacem factam gratulatus est, germanicorum principum nomine, et, exemplis imperii turcici, regni Poloniae et praesertim Imperii germanici adhibitis, in quibus alii aliam religionem, sine ullo rei publicae detrimento, profiterentur, ei suasit ut pacem cum Huguenotis diligentissime servaret; quidni? cum Episcopus romanus ipse Judaeos Romae toleraret. Regem simul, magna sermonis dignitate, monuit ne subditos evangelicos injuste persequeretur, quod Deus solus hominum conscientiam regere jure posset; imo Pontificem romanum insectari non dubitavit, qui sibi in christiano orbe non debitam vindicasset auctoritatem. Denique Regem, Reginam Matrem et Ducem Andegavensem allocutus, spem prae se tulit fore ut Gallia felix divesque in pace evaderet, nedum quasi navis, procellis fracta, ventorum arbitrio traderetur (2).

Rex Languetum benigne audiit et postquam se cum Regina Matre, fratribus et Morvillerio, qui cancellarii vice agebat, paululum concertavit, Morvillerium jussit legatis respondere, eisque pro principum germanicorum gratulationibus, prudentibus consiliis et amicitiae testimoniis gratias

Loquitur de adventu legatorum germanicorum « dirigez en leur négotiation par « le Sr Hubert Languet, francoys naturel, mays retiré en Alemaigne, et conseil- « ler de l'Electeur de Saxe, grand homme d'estat, lequel porta la parole pour « tous ».

(1) *Ibid.*, p. 12.

(2) Cf. Orationem Langueti... Plerique auctores dixerunt orationem *die 23 dec.* habitam fuisse; at secundum Langueti epistolam, a Scholz primum editam, oratio *die 20 dec.* habita est. — *Op. cit.*, app., 4. Legati Regi die 23 dec. valedixerunt.

agere (1). Legati per horam cum Rege et regali familia conversati sunt; deinde eos Rex osculatus est. Diebus sequentibus Reginam Matrem, et Regis fratres legati inviserunt, die 23 dec. a Rege dimissi sunt; Languetus autem seorsum de Saxonicis rebus cum Regina Matre locutus est. Tandem die 24 dec. responsum Regis scriptum, legatis allatum est cum litteris quas ad principes deferrent; cuique simul legato Rex auream torquem, appensa subter imagine sua dari jussit (2).

Antequam proficiscerentur, ambo legati saxonici, Jonas de Tzeschau et Languetus, iterum in aulam gallicam arcessiti cum Regina Matre secreto collocuti sunt; quae iis se magno dolore ob frustra propositum inter Regem et filiam Electoris conjugium affici testata est (3), fieri tamen posse ut Electoris filia duci Alençonio nuberet; Regina utique bono in Electorem animo esse visa est.

Quibus omnibus peractis, legati omnes in Germaniam regressi sunt (4); Languetus mense februario 1571 Lipsiam reversus, cum audiret Augustum ad Brandeburgensem Electorem profectum esse, eum illuc sequi constituit, ut ei coram legationis exitum referret; laetabatur quod Rex Galliae germanicos legatos humaniter exceperat, sperabatque pacem recens factam paulatim coalituram (5). Rex enim Galliae voluntatem pacis servandae, imo etiam foederis cum germanicis principibus ineundi exhibebat; mense maio 1571 Casparum Schombergium in Saxoniam misit, qui Regem pacis Edictum anni 1570 tuiturum asseveravit, atque societatem inter germanicos principes et Regem Galliae instituere conatus est (6). Rursus autem legatum quemdam Lu-

(1) Cf. Responsum Regis, apud Chevreul, *Op. cit.*, app., 8. Sub 24 dec. datum, quia illo die tantum legatis redditum est.

(2) Cf. Scholz, *Op. cit.*, app. 4. Ep. Langueti, 3 jan, 1571.

(3) *Ibid.*, app. 5. Ep. ad Electorem. Lutetiae, mense januario 1571.

(4) Chevreul errat cum dicit Languetum tunc Lutetiae haesisse. *Op. cit.*, p. 100.

(5) Cf. Ep 54 ad J. Camerarium patrem, p. 133-34. Lipsiae, 27 febr. 1571.

(6) Cf. Scholz, *Op. cit.*, p. 50-51. *Bibl. nat.* : V^c Colbert. n° 400, fol. 1 sqq.

tetiae haerere oportebat qui pro germanicis principibus ageret; cum Elector palatinus, mense maio 1571, Augustum istius necessitatis admoneret (1), respondit hic Languetum jam in Galliam rediisse (2).

Languetus enim, sub finem aprilis, Saxoniam reliquerat, ac per Heidelbergam et Argentoratum, ubi aliquot negotia curanda habebat (3), itinere facto, Lutetiam verisimiliter initio junii pervenit (4). Unde ad Electorem parum saepe scripsit, quod tabellarii qui per Belgium semper mittebantur, ab Hispanis diligentius quam antea observabantur (5). Aulam autem et regnum meliore statu esse existimabat cum Rex pacem civilem et religionis libertatem servare vellet. Pristina inter protestantes et catholicos odia plane sopita videbantur : conjugium inter Elisabetham, Angliae Reginam, et Andegavensem ducem agebatur (6); Comes Ludovicus Nassavius, Gulielmi Arausionensis frater, Lutetiam veniebat, fortasse ut bellum commune adversus Hispanos proponeret (7); denique Caspar Castilionaeus, Amiralius, de magno bello in Belgio suscipiendo meditabatur, de quo bello Mornaeus Plessiacus longum libellum componebat. Interea Languetus Lutetiae sine metu vivebat.

Pauca de isto Langueti vitae spatio scimus, quia in « *Arcanis* » nulla inter 26 aug. 1571 et 30 nov. 1572 epistola exstat; imo ad J. Camerarium patrem litteras, quas die 20 sept. 1571 scriptas quidam arbitrati sunt, anno 1570 vere datas esse constat (8). Ex epistola tamen Langueti, in Bibl.

(1) Cf. Kluckhohn : « *Briefe Friedrich's des Frommen von der Pfalz* », II, p. 414-415, 3 vol. in-8°. Brunswicine, 1868-72.

(2) *Ibid.*, p. 415, nota 1, 29 maii 1571 : « Unser Diener *Hubertus Languetus* « ist, unsers Verhoffens, jetzt zu Paris, von dem wir auch jederzeit, fremder « Lande halben, guten Bericht überkommen ».

(3) Cf. Ep. 55 ad Camerarium patrem. 16 april. 1571.

(4) *Ibid.*, Ep. 56, 19 junii 1571. Cf. Ep. 17 ad Camerarium filium.

(5) *Arcana*. I, I. p. 172-73. Lutetiae, 3 julii 1571.

(6) *Arcana*, I, I. Ep. 93-97.

(7) *Ibid.*, p. 175-177. Lutetiae, 2 augusti 1571.

(8) De pace Gallica enim *nuper* facta et de deductione Imperatoris filiae in Galliam agitur. Ep. 59 ad Cam. patrem.

Sanctae Genovefae servata, videmus eum mense februa[rii] 1572 Tiguri in Helvetia fuisse (1); in Germania verisimili[ter] aliquod tempus manserat, deinde Tigurim petierat ut quo-dam amicos (inter quos Bullingerum) inviseret. Tiguri ita graviter aegrotavit ut vix speraverit se unquam integram va-letudinem recuperaturum. Postquam se paululum refeci[t] Francofurtum ad mercatum contendit et inde in Galliam re-versus est. Lutetiae, mense augusto 1572, apud Andrea[m] Wechelum, typographum, securus haerebat, multorum doc-torum virorum, Mornaei Plessiaci, Petri Rami, Pibraci, Achil-lis Harlaei, primi in parisiensi parlamento praesidis, con-suetudine quotidiana et amicitia utens.

Istam tranquillam jucundamque vitam funesta 24 augus[ti] 1572 nox turbavit; post Sanbartholomaeanam enim cae-dem, iniquum idemque inutile scelus, bellum civile in Gallia gravius exarsit, et omnis inter germanicos principes et Carolum nonum amicitia exstincta est. Quid Languetus inter nocturnam illam caedem gesserit, praefatio quaedam Andreae Wecheli (2), narratio a Plessiaci uxore facta (3) et vita Lan-gueti saepe citata (4) nos docent. Languetus qui et ipse evangelicus erat, in periculum vitae cadere poterat, eo magis quod in oratione 20 dec. 1570 ante Regem prolata quaedam ita libere dixerat, ut ea res ei in tumultu parisiensi exitio esse posset (4). Titulus enim legati eum vix servasset. Quamvis se in magnum discrimen inferret, Languetus We-cheli, hospitis sui, vitam potius quam suam respexit, et eum fere certae morti subduxit. Postea, cum de Mornaei Plessiaci sorte anxius, Lutetiae vias ad eum reperiendum percurreret a fanaticis quibusdam deprehensus, fortasse in eo erat ut trucidaretur, cum Joannes Morvillerius, sigillorum procura[tor]

(1) Bibl. Sanctae Genov. *Ep. haeretic.*, II. Ep. Langueti ad Theodorum Bezam Tiguri, 2 febr. 1572.

(2) Praefatio *Vandaliae* Krantzii, in 2ª editione. Francofurti, 1575.

(3) Cf. « *Mémoires de Madame de Mornay* », I, p. 71-72.

(4) Marrius, p. 64-66.

tor, eum agnovit, et a sicariis eripuit (1). Pomponius Bellevraeus (2) quoque, qui tunc in Ducis Andegavensis familia erat, ac postea legatus in diversis aulis futurus erat, Langueto tunc opem tulit, ut ex epistola anni 1573 apparet, in qua Languetus haec verba scripsit : « Cum ante annum inci-« dissem in periculum Lutetiae, Bellevraeus nihil studii prae-« termisit, quo me ex eo liberaret... (3) »

Atrox illius « carnificinae » spectaculum Langueti animum valde commovit, neque unquam postea de « hoc aeterno Galliae dedecore (4) » sine moestitia loqui potuit. Falso tamen ei a quibusdam libellus « *de furoribus gallicis* » attributus est, cujus auctorem Franciscum Hotomannum fuisse constat (5).

Post Sanbartholomaeanam caedem Languetus se in Germaniam recepit, ac per Heidelbergam, ubi cum Electore palatino collocutus est (6), et per Francofurtum (7), in Saxoniam mense novembri rediit. Regis Galliae perfidia omnem cum germanicis principibus amicitiam rumpebat, ac Schombergius, qui etiam tunc trans Rhenum agebat, audita parisiensi caede, jam nullam spem boni exitus servavit (8). Catharina sane, mense septembri, Schombergio mandavit ut foedera cum Germanis ineunda iterum curaret, et caedem

(1) Cf. Chevreul, *Op. cit.*, p. 105-107.

(2) Natus Lugduni (1529) erat; postquam Tholosae et Patavii studuit, in Sabaudiae parlamento consiliarius factus est; deinde a Carolo nono legatus ad Helvetios missus est. Duci Andegavensi addictus, eum in Poloniam comitatus est, postea diversis muneribus functus (cancellarius fuit 1599-1605) Lutetiae obiit anno 1607.

(3) Bibl. Sanctae Genov. *Ep. haeret.*, III. Ad Andream Dudicium, 13 nov. 1573.

(4) Marrius, *Op. cit.*, p. 63.

(5) Cf. Rod. Dareste : « *Essai sur François Hotman* ». In-8°, 1850, p. 63. Cf. Quérard : « Les supercheries littéraires dévoilées », III, p. 912.

(6) Cf. Kluckhohn, *Op. cit.*, II, p. 527. 24 sept. 1572.

(7) Marrius (*Op. cit.*, p. 69) errat cum dicit Languetum adversa valetudine diutius Francofurti haerere coactum fuisse. Die 30 nov. 1572 Languetus scribebat se jam *aliquot septimanas*, Dresdae esse; Francofurti igitur paucos dies constiterat.

(8) Cf. de Noailles : « *Henri de Valois et la Pologne en 1572.* » 3 vol. in-8°, 1867, II, p. 234. Schombergium dixisse refert : « Toute ma négociation s'en est allée en fumée. »

Amiralii non religionis evangelicae odio factum fuisse a
reret; Elector vero Saxoniae paulo post illa negotia re
quenda esse respondit, cum Edictum pacis anni 1570 vi
tum fuisset, et conditiones a Langueto propositas aula ga
aspernata esset (1).

Inter Germaniam et Galliam societas nulla in longum
pus fieri poterat; Saxoniae Electori jam non curae fuit
Regem Galliae legatum habere; nunc Languetum. non
tetiam sed Viennam missurus erat.

(1) Bibl. Nat. Vᶜ Colbert, nº 400. Ep. 13 sept. et 6 octobris 1572 scriptae

CAPUT III

DE HUBERTO LANGUETO APUD CAESAREAM AULAM LEGATO.
(1573-77)

Vix in Saxoniam redierat Languetus, cum ab Electore petiit quid sibi agendum esset. Ad Rhenum proficisci voluisset, ut de bellis in Gallia et Belgio certiora intelligeret ac referret; adde quod amicis et cognatis e Gallia profugis (nempe Hotomannus in Helvetiam (1), Mornaeus Plessiacus in Angliam (2), alii alias in regiones se receperant) operam et auxilium navare intendebat (3). In Saxonia tamen usque ad finem anni haesit, Electoris jussa exspectans. Tandem mense decembri 1572 ei Cracovius nuntiavit Electorem de eventu belli admodum sollicitum esse, quod Hispani et Veneti adversus Turcas gerebant, ipsi igitur placere ut Languetus in locum aliquem Italiae vicinum se conferret. Viennam aut Venetias eundum judicavit Languetus : se enim Viennae ob concursum variarum gentium melius quam in qualibet alia Germaniae urbe res turcicas intelligere posse, Venetiis autem easdem longe certius cogniturum, et tanquam oculis conspecturum (4). Quae cum ita essent, Languetus

(1) Cf. Dareste, *Op. cit.*

(2) Mornaeum Plessiacum Languetus Walsinghamo, Angliae Reginae consiliario commendavit. Cf. « *Mémoires de Madame de Mornay* ». I, p. 72.

(3) *Arcana*, I, I, p. 180-83. Prid. Kal. dec. 1572.

(4) *Ibid.*, p. 184-85. Dresdae, 7 dec. 1572.

Viennam, ubi primum nonnihil remisissent frigora, jussus est (1).

Antea autem Francofurtum ivit, ubi verisimili aut tres menses remansit. Tunc tantum praestan quemdam juvenem, Philippum scilicet Sidnaeum, Anglum, novit, qui Europam ad ingenium info percurrebat, et cum eo devotissima amicitia jun Francofurti sub finem martii 1573 etiam erat, at J. C filio scribebat se mox profecturum (2). Cum Vien tenderet, per Saxoniam ubi Camerarios Lipsiae invi Bohemiam iter cepit; Viennam sub finem maii per

In Caesarea aula fere quatuor annos sine inte (1573-77) egit, Imperatorem quocumque ibat, Pr Ratisbonam, sequens. Interdum Francofurtum tem catus vernalis ire solebat, ut amicos videret, res prias procuraret, sed id quotannis facere non potuit neque anno 1574 (5), neque anno 1576 Elector id ei *Arcana* XVI *saeculi* nos praecipua in isto Langueti vi docent; epistolae tamen ad Sidnaeum scriptae m tione digna addunt, praesertim de Anglis, quos Languetus omnium Europae bellorum quasi s optime depinxit, quaestum e Gallorum, Belgarum norum stultitia facientes (6), seque sicut « vulpecul bus periculis subducentes (7). Praeterea quasdam ad Camerarios epistolas habemus, ad filium p quia pater anno 1574 obiit.

(1) Arcana I, 1, p. 188-89. Prid. Kal. jan. 1573.

(2) Ep. 18, *loc. cit.*, p. 203-204. 24 martii 1573.

(3) *Ibid.*, Ep. 19, p. 204-208, 27 maii 1573. — Cf. *Arcana*, I, 27 maii 1573. Falso Marrius (*Op. cit.*, p. 69) dicit Languetum anno Viennam appulisse.

(4) Ut falso putavit Herzog : *loc. cit.*, p. 766.

(5) Anno 1574 Languetus petiit ut sibi liceret ire Francofurtum, s ei concedere noluit. Cf. *Arcana*, I, 2, p. 28, 23 julii 1574, et *ibi* 24 januarii 1575.

(6) Ep. 5 ad Sidnaeum. Viennae, die Brumae 1573.

(7) Ep. 28 ad eumdem. Viennae, 13 maii 1574.

Viennae Languetus apud doctorem Michaelem Linghelium habitavit quem optimum esse virum dixit (1). Multos autem doctos viros, quos jam noverat, aut amicos habebat, in urbe reperit; inter quos nominandus est imprimis doctor J. Crato, qui, postquam praecedentis Imperatoris, Ferdinandi, medicus fuerat, nunc Maximiliano II, gravi morbo laboranti, subveniebat, et ab eo magnas divitias et nobilitatem dono acceperat (2). Crato Viennae, quamvis evangelicam religionem profiteretur, tanto favore utebatur, ut, quamdiu Maximilianus regnavit, aulam austriacam non reliquerit. Semper apud Imperatorem haerebat, et, exempli gratia, Pragae, cum Languetus in veteri urbe esset, Crato in arce (Hradschin) vivebat (3), Eum Languetus vera amicitia prosequebatur, ac gaudebat, si de morbo Imperatoris triumphare videretur (4). Cum gallicis quoque apud Caesarem legatis, Bochetello et Vulcobio (5), et cum multis aliis viris, in rebus publicis versatis, consuetudinem inivit; scilicet Andream Dudicium (6), Imperatoris legatum in Polonia, mense septembri 1573, cognovit (7) et cum eo jam mense octobri commercium epistolarum habere cœpit (8). Cum aulae proceribus et praecipuis urbis civibus Languetus notus esset, saepe ad epulas et magna convivia invitabatur, ubi germanico more, longius quam pro valetudine, bibendum erat; quibus crapulis minime oblectabatur, ac Sidnaeo non semel

(1) Ep. 19 ad J. Camerarium filium, p. 204-208. 27 maii 1573.

(2). Cf. *Allgemeine deutsche Biographie*. In verb. *Crato*.

(3) Cf, *Decades Tres Epistolarum*... Ep. 4 ad Comitem L. de Wittgenstein. Pragæ, mense junio 1575.

(4) Cf. Bibl. Sanctæ Genov. *Ep. haeret*. t. III. Languetus ad Andream Dudicium. Viennae, 21 dec. 1573.

(5) Ep. ad Sidnaeum, 7-16-51 (1573-76).

(6) Andreas Dudicius, natus Budae a. D. 1533, postquam catholicus episcopus fuerat, ad evangelicam religionem sese convertit, ac in Polonia uxorem duxit. Mortuus est a. D. 1589. Cf. P. Niceron : *Op. cit.*, t. XVII, p. 385-408. Vid. cap. IV, huj. libri.

(7) Ep. 60 ad J. Camerarium patrem, p. 144-147. 21 sept. 1573.

(8) Bibl. Sanctae Genov. *Ep. haeretic.*, t. III. 11 oct. 1573.

[illegible]

istud vitae tempus ei asperrimum fuisse. Attamen cum eum Sidnaeus hortaretur ut in Angliam tanquam in tutum portum se reciperet, id consilium inire noluit, se aetate graviorem esse putans quam ut vitam mutaret (1).

Per duos fere annos (1573-74) Languetus Viennae remansit. Pauca de vita ejus apud auctores et etiam in epistolis exstant; Marrius tantum de casu pene ridiculo refert, quo in grave periculum adductus est, scilicet ne in lecto, dum legit, incenso libro, flammis cremaretur (2). Initio anni 1574, amicum doctorem Andream Paullum, Electoris Saxoniae consiliarium (3), ac mense junio, Henricum tertium, qui regnum Poloniae fugiebat, et in Galliam ad novam coronam accipiendam festinabat, Viennae vidit. Maximilianus Regem splendide excipere voluit (4); ei igitur obviam fuit 24 junii 1574, et cum eo Viennam ingressus est. Nullum genus humanitatis erga eum praetermisit, ita ut per quatuor dies, Henricus, qui sinistram partem Arcis (die Burg) incolebat, inter convivia, venationes et alia oblectamenta vixerit. Antequam Henricus discederet, die 29 junii, diu in area Arcis, cum Imperatore, spectante tota aula, collocutus est; Languetum etiam ad se venire jussit a quo diligenter de Electoris Saxoniae conjugisque valetudine percontatus est; ei quoque curam mandavit ut Electorem suo nomine salutaret, ac significaret se nihil antiquius habere, quam ut cum Electore eam amicitiam coleret, quae ipsius majoribus cum domo Saxonica intercessisset (5).

Cum Francofurtum eundi Langueto per Electorem non liceret (6), Viennae per totum annum haesit, ubi catarrhis et dentium doloribus graviter afflictus est (7). Initio autem anni

(1) Ep. 31 ad Sidnaeum, Viennae, 4 junii 1574.
(2) *Op. cit.*, p. 70-71.
(3) Ep. 11 ad Sidnaeum, 22 jan. 1574.
(4) Cf. *Arcana*, I, 2, p. 18-20, 24 junii 1574.
(5) Cf. *Arcana*, I, 2, p. 20-23. Viennae, 29 junii 1574.
(6) *Ibid*, p. 25-29 (23 julii 1574) et 67-69 (24 jan. 1575).
(7) *Ibid.*, p. 52 et 57.

1575, Imperatorem Pragam sequens, in itinere, Moraviam invisit, et fratrum Bohemorum doctrinae studuit; Evangicium usque progressus est, ubi praecipuam illorum ecclesiam vidit. In eo erat tunc ut Esromus Rudingerus, e Saxonia profugus, se ad istos « sine pompa et fuco » homines reciperet. Languetus illius ecclesiae disciplinam, cui unus e senioribus, tanquam *superintendens* praeerat, potius cum admiratione depinxit (1).

Praga tandem Francofurtense iter, sub finem martii suscipere potuit (2), se eos visurum sperans, quibuscum negotium in patria pro rebus privatis habebat (3); at plerique jam discesserant, cum Francofurtum advenit (4), Pragam igitur cito, ante finem aprilis rediit (5). Dum aberat, Imperator se in Saxoniam ad Electorem Augustum contulerat, quocum verisimiliter de filio Rodolpho ad Imperium designando egerat (6). Ad id autem negotium absolvendum, Electorum conventus Ratisbonae, mense octobri, habitus est; Languetus Ratisbonam quoque contendit, ubi omnes Electores, praeter Palatinum, aderant (7), et die 27 oct. 1575 Rodolphus Romanorum Rex declaratus est. Ratisbona Viennam ad hiemandum reversus est Languetus, sed mense junio 1576 denuo in eamdem excurrit urbem, ut in generali Imperii conventu interesset (8), qui, cum de repellendis Turcis et invadenda Polonia esset deliberaturus (9), ut mos erat, fere nihil decrevit.

Postquam, Maximiliano II, 12 oct. 1576, mortuo, Rodolphus Imperator factus fuit, Languetus non diu in Caesarea aula haesit; Rodolphum sane Pragam secutus est, ubi Maxi-

(1) Ep. 24 ad Camerarium filium, p. 222. Pragae, 9 martii 1575.
(2) *Arcana*, I, 2, p. 78-80, 20 martii 1575.
(3) *Ibid.*, p. 67-69.
(4) *Ibid.*, p. 80-81. Francofurti, die Resurrect. Dominicae 1575.
(5) *Ibid.*, p. 81-84. Pragae, 25 april 1575.
(6) Cf. *Decades tres Epistolarum*. Ep. 4. Mense junio 1575.
(7) Ep. 47 ad Sidnaeum. Viennae, 28 nov. 1575.
(8) Cf. *Arcana*, I, 2, p. 191 et 194.
(9) Ep. 52 ad Sidnaeum, 13 aug. 1576.

miliani exsequiae celebrandae erant; sed diversis motus causis, quae infra longius exponentur, dimissionem tunc ab Electore petiit et impetravit (febr. 1577) (1). Sic post quatuor annos se officio legati apud Imperatorem abdicavit.

Viennam praecipue missus erat ut de rebus orientalibus et de bello Turcico certiora sciret. Epistolae quas ad Electorem aut ad Sidnaeum 1573-77 misit, quasi epitome rerum tunc gestarum praebent. De Turcis in qualibet fere epistola refert, qui, Selimo II imperante, novo impetu Italiae et Hispaniae instabant; Cyprum insulam a Venetis eripuerant, ac Lepantina clade haud prostrati, Tunetanum regnum, sibi a Joanne ab Austria ereptum, denuo recuperabant (2). Imperator Turcas reformidans, eo humilitatis descenderat ut Selimo quotannis pecuniam et munera mitteret (3). Imo legatum, quamvis saepius injuriis obrueretur, Constantinopoli alebat. Languetus cum Davido Ungnadio, Imperatoris apud Turcas legato (4), epistolarum commercium habuit (5), ut certius de Turcarum classibus et eorum ducibus (Piali Bassa aut Ochiali) posset scribere. Postquam Selimus 29 nov. 1574 mortuus est (6), hoc multum laetata est Caesarea aula quod successor Amurates induciarum prorogationem ad octo annos concessit (7), et legatum cum donis Pragam anno 1575 misit (8). Ista omnia Languetus diligenter observavit ac narravit.

Nihil interea, quod quidem alicujus momenti esset, neglexit: de Anglia et de sperato Andegavensis ducis conjugio cum Regina Elisabetha, quam « nunquam nupturam » asserebat (9); de Belgicis turbis, de Albano qui « exosus superis et

(1) *Arcana*, I, 2, p. 264, 278 etc.
(2) *Ibid.*, I, I, p. 214-16; I, 2, p. 25-55.
(3) *Ibid.*, I, I, p. 191-93.
(4) *Ibid.*, I, I, p. 189-91.
(5) Ep. 20 ad Sidnaeum, 21 maii 1574.
(6) *Arcana*, I, 2, p. 67-69.
(7) *Ibid.*, p. 69-71, 3 febr. 1575.
(8) *Ibid.*, p. 74 ssq.
(9) *Ibid.*, I, I, p. 206. Viennae, 28 aug. 1573.

inferis » abibat (1), de seditionibus militum Hispanicorum (2); de Pontificis romani consiliis qui supplicia procerum in Belgio et Huguenotorum caedem in Gallia jubebat (3); de Moschis etiam aut Suecis, accurate et ordine retulit. Galliam « alto a culmine ruentem » moestis oculis respiciebat, Valesiam domum perituram praevidens, et miserum patriae statum his duobus Pibraci versiculis definiens :

Douze ans y a et plus que par nostre folie,
Nous sommes le jouet d'Hespagne et d'Italie (4).

At in Langueti epistolis, haec imprimis notatione digna mihi videntur, quae de Imperatore ipso, apud quem vivebat, de austriaca aula, et de germanicis rebus scripsit; quae quidem paucissima (5), at maximi pretii sunt, quia *de visu* a sagaci teste exponuntur.

Maximilianum II, qui 1564-76 regnavit, Languetus ut dulcem et moderatum, ad concordiam et pacem Germaniae unice tendentem Imperatorem depinxit (6). Maximilianus enim religionis libertati semper favit : evangelicis ut conciones haberent Viennae (7), Bohemis ut propria servarent sacra (8), concessit. Is est quem Venetorum legati nobis ab Hispanorum insidiis abhorrentem descripserunt, quippe qui Hispaniam « Tartarum » esse diceret, e quo interdum « boni diaboli » egrederentur (9). At Imperator ille qui civilia

(1) Bibl. Sanctae Genovef. *Ep. haeretic.* : Ep. inedita Langueti ad Philippum Ludovicum, Hanaviensem ducem, 15 jan. 1574.

(2) *Arcana*, I, I, p. 202, et 2, p. 12-13.

(3) Ep. 20 ad Sidnaeum, 26 mart. 1574.

(4) Bibl. Sanctae Genovef. *Ep. haeret.*, Languetus Herdesiano, Norimbergae advocato, 16 aug. 1575.

(5) De aula Caesarea raro ad Electorem referebat, quia alii de ea Electorem admonebant, Cf. *Arcana*, I, 2, p. 266.

(6) Ep. ad Sidnaeum 32, 11 junii 1574.

(7) *Ibidem*, 25-23 april. 1574.

(8) *Arcana*, I, 2, p 122-24. Pragae, 5 sept. 1575.

(9) Cf. *Fontes rer. Austriac.* t. XXX, 1870. Relatio legati Corraro (1574) : cum Requesens in Belgium missum fuisse audiret, Imperator dixit, « che dell' Inferno escano buoni diavoli » et « per Inferno s' intende Spagna », p. 341-42.

bella in Germania pene exstinxerat, imbecillae erat valetudinis ; Cratonis medicarum rerum peritia non impedire poterat, quin semper aegrotaret, calculos ejiciens, cordisque palpitationibus laborans (1). Jam anno 1574 Languetus illa mortis praesagia magno cum dolore videbat, quid eo mortuo fieret anxius (2).

Rodolphum enim, Maximiliani filium suspectum habebat, qui matre catholicissima natus, et in Hispania educatus, se Jesuitarum discipulum praebebat, qui quidem ita pius erat, ut in festo corporis Christi, cum imago ejus circumgestaretur, ipse cum fratre eam sequeretur, accensa ferens funalia (3). Mors Maximiliani protestantibus magno fuit luctui (4). Rodolphus autem, ab initio regni, fere unice pontificiorum consilio esse usurus visus est ; Weberum procancellarium, qui Lutheranis aequior habebatur, ad consilium minime adhibuit (5), moxque evangelicos omnes ex aula quasi expulit. Crato Wratislaviam se recepit (6), unde Imperator eum postea ad se revocavit ; Fabianus, burgravius a Dohna, Langueti amicus, apud Rodolphum honores sectari noluit (7), et in Poloniam profectus est ; neque scio an omnia ista partim causa fuerint, cur Languetus aula Caesarea discesserit.

De aulae ipsius statu Languetus pauca nobis tradidit ; eam pauperrimam esse dixit, atque ad id penuriae adductam ut novum astronomiae genus excogitaret, annumque Romuleum in usum reduceret, hoc est ut decem mensium stipendium pro annuo teneretur (8). Ceterum Imperator, si forte

(1) *Arcana*, I, 2, p. 225-27. Ratisbonae, 14 sept. 1576.
(2) Ep. 32 ad Sidnaeum, 11 junii 1574.
(3) Ep. 19 ad J. Camerarium filium, p. 207, 27 maii 1573.
(4) Die 12 octobris 1576.
(5) *Arcana*, I, 2, p. 243, 18 octobris 1576.
(6) *Ibid.*, p. 258. Lintzii, 14 dec. 1576.
(7) Ep. ad Berzevicium, prid. nonas febr. (4 febr.) 1577. Post epistolas ad Camerarios, p. 284.
(8) Ep. 24 ad Sidnaeum, 18 aprilis 1574.

pecuniam haberet, se plane in inopia esse simulabat (1).

Quod ad res germanicas attinet, Languetus eas optime novit, cum in Germania per tot annos vixerit; dum autem apud Imperatorem haesit, Imperii gubernationi et principum conventibus aut generalibus comitiis studere potuit; eo igitur progressus est, ut « rerum Germaniae callentissimus » evaderet, et « Germanos ipsos res patrias suas doceret (2) ». Germaniae vires ingentes esse intellexerat, et eï praecipuam tunc in orbe christiano potestatem attribuebat (3); at tamen qua parte magnum illud corpus claudicaret viderat : dissensiones scilicet de religione periculorum plenas esse, comitia Imperii ad irritum cadere, Imperatorem denique ipsum in Imperio nulla auctoritate valere (4). Anno 1579, Thuanus a Langueto petiit ut « breviculum » daret, quo « generalis « Germaniae status... comitiorum jus, circulorum numerus, « consiliorum ordo » describeretur (5). Quod quidem breviculum, a Langueto compositum, et in Thuani bibliotheca servatum (6) evanuerat, et ad hunc diem amissum habebatur; quod in Bibl. Nat., felici casu, reperi (7), et quamvis ut Appendix in extenso editum sit, quid sit paucis verbis dicendum puto.

Gallica lingua scriptum est, cum titulo : « *Lettre de Mon-*

(1) Cf. *Briefe des Pfalzgrafen Johann Casimir* », a Bezold editas (Munich, 1882-84), I, p. 295-97. Francofurti, 14 febr. 1578, Languetus ad Beutterichium, Casimiri ministrum, scribit : « La court d'Autriche a costume de prendre et non « pas de donner, et tient en ses procédures une méthode du tout dissemblable à « celle d'Hespagne, qui ne faict que parler de millions, nonobstant que bien sou- « vent elle n'ayt pas un double. Au contraire, celle d'Autriche dict *franchement* « qu'elle n'a point d'argent, mesme quand elle en a ».

(2) Thuanus « De vita sua » II, (Historiarum, I, p. 18). Ed. Aureliani, 1620 in-4°.

(3) Ep. 12 ad Sidnaeum, 28 jan. 1574.

(4) Cf. *Fontes rer. Austriac*, XXX, p. 330.

(5) Cf. Thuan., *loc. cit.*

(6) Chevreul, *Op. cit.*, p. 145 dicit Langueti scriptum a Philiberto Marrio in filii Thuani bibliotheca visum fuisse.

(7) Doctissimo et in historicis rebus eruditissimo viro, domino Anquez, gratias debeo et ago, qui mihi manuscriptum notum fecit, in quo quoddam Langueti scriptum viderat.

« *sieur Languet à Monsieur de Tou, touchant les Estats d'Al-* « *lemagne* (1) « (Badenis, 1 junii 1579). Postquam initio diversos Imperii Status enumeravit, ac nobilitatis germanicae mentionem fecit, quae ipsa non Status sit, sed magnas opes possideat, Languetus de Comitiis Imperii disserit, quae cum generalibus Statuum conventibus in Gallia confert; antiquam Comitiorum significationem fere periisse ostendit, cum Imperator ea nunc tantum convocet, ut pecuniam ab eis obtineat. In urbe tantum Imperiali haberi possunt, quae ab Imperatoris marescalcis in duas partes dividitur, alteram nempe ad Electores, Principes et alios Imperii Status destinatam, alteram ad Imperatorem et comitatum. Die dicta, Imperator, ante omnes Status causas exponit, cur eos congregaverit; quo facto, cancellarius *propositionem* Imperatoris legit, scilicet de quibus rebus in his comitiis deliberandum sit. Electores et Principes Imperii in collegiis separatis, de *propositione* disceptant; urbes vero Imperiales, quamvis collegium suum habeant, non suffragii sed admonitionis tantum jure utuntur (2). Cum autem ista comitia nunc magis atque magis in longum protrahantur, plerique principes jam non ipsi veniunt, sed legatos mittunt. Ceterum, postquam Imperator pecuniam, ut solet, pro bello turcico a Statibus impetravit, comitia quam citissime dimittit, lecto antea publice *Recessu* (Abschied), qui, quaecumque a Statibus decreta sint, refert; qui quidem in toto Imperio pro lege habetur.

Quae in Comitiis neglecta fuerunt, legatorum conventui (Deputationstag) expedienda traduntur, ad quem ab Imperatore commissarii, ab Electoribus, principibus et urbibus legati mittuntur.

Languetus de istis omnibus breviter at dilucide scripsit; non ita in judiciis describendis. Sic Imperialem Cameram, immerito, nisi fallor, cum parlamento parisiensi comparavit;

(1) Bibl. Nat. — Fonds français, n° 2756, p. 218-22. Cui volumini titulus est : « *Plusieurs pièces et mémoires touchant l'Allemagne, royaumes et provinces* « *voisines.* »

(2) Post pacem Westphalicam tantum, jus suffragii acceperunt.

nihil enim fere est quod ad illam pertineat, cum in causis criminalibus omnes, et in aliis multi Imperii Status, jus sine appellatione dicere possint; imo Imperialis Camerae decreta nemo plerumque curat, ac saepius accidit ut judicium contra potentem quemdam nobilem latum, adversae parti exitio sit.

Electores Langueto Imperium quasi tenere visi sunt; nempe, ab electione Caroli Quinti, antequam Imperatorem eligerent, ei aliquot conditiones proponere consueverant, quas se observaturum polliceretur; ea est Capitulatio Imperialis quae XVII° saeculo Imperatoris potestatem ita minuit, Electorumque et principum jura ita auxit, ut Caesarea dignitas, magnifici tantum nominis causa, ambiretur.

Sub finem, Languetus quaedam de urbibus Imperialibus addidit, praesertim de opulentis earum vectigalibus; e quibus constat praecipuas ex illis, intra aliquot annos, ex ampliore statu in minorem concidisse : Norimbergae, quam anno 1548 Venetorum legatus, Mocenigo, ditissimam esse judicabat, ita ut ingenti auri copia uterentur cives (1), opes anno 1579 valde decreverant, cum mille et quingentae domus venales proponerentur. Augustae Vindelicorum pejore etiam loco civium fortunae erant, ob immensam pecuniam Galliae et Hispaniae regibus creditam, et ob perpetua in Belgio et Gallia civilia bella; tributorum simul multitudine premebantur.

Talia nos Languetus de Germania in epistola ad Thuanum docuit; in qua quidem fere nihil praeter nimiam brevitatem, reprehendendum videtur.

Dum Viennae erat, polonicis quoque negotiis Languetus optime studere potuit; de quibus pauca referantur necesse est. Tempus erat quo Poloniae regnum, post exstinctam Jagellonorum stirpem, a totius Europae principibus affectaretur. Initio autem anni 1573, Henricus Valesius, dux Andegavensis, a Polonis Rex electus est, quem Languetus vix

(1) *Fontes rer. Austriac.*, XXX, p. 70 : « Si parla di millione d'oro ».

Galliam relicturum putabat (1): sed longinquae coronae cupidum principem, nec polonicorum legatorum arrogantia qui ei « *articulos Henricianos* », in quos juraret, attulerant (2), nec proxima spes Gallici regni acquirendi impedire poterunt, quin thronum oblatum acciperet. Imperator, qui et ipse candidatus fuerat, omnia ista moestissimus audiit (3); cum tamen Carolus nonus ab eo et aliquot Imperii principibus petiit, ut fratri suo liceret per ipsorum fines iter facere (4), conventus Francofurtum ad Meganum indictus est qui fidem publicam Regi Poloniae dari decrevit, ita tamen ne plus quam octingentos equites secum duceret: simul praescriptum est, qua iter faciendum esset (5).

Quae cum ita essent, dux Andegavensis Galliam mense decembri 1573 reliquit, et Germaniam ingressus est, ubi a multis principibus salutatus fuit: cum Augustus, Saxoniae Elector, valetudine impeditus, eum videre non posset, nihilominus eum Halae Saxonum magnifice excipi jussit (6). Wittebergae Albim trajicere Andegavensis constituerat, sed, a Lutheri et Melanchthonis fortasse manibus abhorrens, per Torgam iter cepit (7). Tandem ad fines regni sui pervenit, ubi proceres Poloniae cum splendido equitatu ei occurrerunt.

Omnia ad Poloniam pertinentia Languetus accurate descripsit; fortasse et libellum *de Electione polonica* composuerat, ut ex epistola quadam ad Sidnaeum haud immerito conjecit H. Chevreul (8). Sine dubio res polonicas optime

(1) *Arcana*, I, 1, p. 180-83, Kal. dec. 1572.

(2) Cf. de Noailles; *Op. cit.*, t. II, p. 362 : unus e legatis, Joannes Zborowskius Henrico dicere ausus est : « Jurabis aut non regnabis ».

(3) Ep. 19 ad J. Camerarium filium, p. 204-208. 27 maii 1573.

(4) Cf. de Noailles, *Op. cit.*, t. II, p. 238, et III, p. 315-18, de Schombergii ad illos principes legatione.

(5) Bibl. Sanctae Genov. *Ep. haeretic.*, III. Languetus ad Andream Dudicium, 11 oct. 1573.

(6) *Ibid.*, III. Languetus ad Philippum Ludovicum, Hanaviensem ducem, 9 febr. 1574.

(7) *Ibidem.*

(8) *Op. cit.*, p. 114 et 206. — Cf. Ep. 8 ad Sidnaeum, Kal. jan. 1574.

noverat, quippe qui per litteras cum Andrea Dudicio colloqueretur, qui, Imperatoris in Polonia legatus, frustra Andegavensis electioni adversatus erat (1). Inaugurationem quidem novi Regis magnificam fore dicebat Languetus, sed jam verebatur ne huc quoque veniret « Dea illa, quae in « nuptiis Pelei hilaritatem Deorum conturbavit » (2).

Perspicacissime quid eventurum esset praeviderat. Henricus nempe regnum vix comparaverat, cum jam nimia subditorum libertate offensus est, et Lutetiae delicias desideravit. Omnia plena dissensionum repererat, atque e felicitate non parva « in magnas miserias » conjectus erat. Mors Caroli fratris (3) eum ex istis « miseriis » liberavit; arce Cracoviensi per portam angustam quasi fur noctu egressus, subditis suis, qui eum persequebantur, fuga veloci se subduxit (4), ac per Austriam et Venetias in Galliam contendit.

Poloni denuo sine rege erant. Multi iterum candidati eorum suffragia ambierunt, ac cum apud eos pecunia multum posset, thronus verae auctioni propositus est. Anno 1575, « Austriacus, Moschus, Suecus, Transsylvanus (Bathorius), « Ferrariensis et aliquot proceres » pecunia sic inter se certaverunt (5). Dum Imperator Rosembergium Bohemum mittit cum Dudicio res austriacae domus procurandi causa (6), Henricus III Pibracum in Polonia haerere jubebat (7), et Ferrariensis simulabat se deperire Annam Jagellonicam, 50 annis natam (8), ad quam saepius amatorias litteras « ineptiarum plenas » scribebat, ut ei persuaderet se fortem maritum fore, si cum ea connubio jungeretur (9).

(1) [illegible] Langueti ad Dudicium, ineditas in Bibl. Sanctae Genov. [illegible]

(2) Bibl. Sanctae Genov. [illegible] III [illegible] ad [illegible] ducem.

(3) Die 30 maii 1574.

(4) [illegible] 1574.

(5) [illegible] Soldanum. [illegible] 1575.

(6) [illegible] ian. 1576.

(7) [illegible] 1575.

(8) [illegible] virginem [illegible]

(9) [illegible] Pragae, mense junio 1575.

Mense decembri 1575 tandem, duae tantum factiones permanserant, Austriaca nempe et Transsylvanica. Imperator quidem ac Stephanus Bathorius, uterque a suis, simul ad regnum electi sunt; at cum Stephanus Bathorius paucis diebus tota Polonia potitus esset, Maximilianus aegrotans bellum indicere noluit, et Transsylvano « hanc Helenam » concedere coactus est (1).

Sed haec hactenus. Ad Langueti vitam redeamus necesse est, ut videamus cur, anno 1577, ab Electore dimissionem petierit.

Jam ab anno 1574 tristem Languetus amicorum suorum sortem dolebat, qui in Saxonia religionis causa vexabantur. Cum enim Palatinus Elector, Fridericus III (1559-76), calvinismum apud subditos propagare inciperet (2), Saxoniae contra Elector, rigidum Lutheranismum observari jubebat, quippe qui, si venam ullam calvinistam habuisset, eam sibi vellet a diabolo e corpore evelli (3). Melanchthonem pro Lutheri discipulo habuerat, nec animadverterat Melanchthonianismum Helvetiorum aut Calvini doctrinis proximum esse; Melanchthone mortuo, amicis illius qui Wittebergae theologiam profitebantur, eodem modo confisus erat (4). Sed, anno 1571, controversiis de Wittebergensi catechismo exortis turbatus, librum ut Calvinismo inquinatum condemnavit; Peucerum quoque, Melanchthonis generum, qui aulae medicus erat, monuit, ne se rebus religionis immisceret (5). Mox autem novum opus editum est, quod ad Calvini et Zwinglii praecepta inclinabat, scilicet « Exegesis perspicua controversiae

(1) Cf. Ep. ad Sidnaeum, 17 martii. 28 maii et 8 sept. 1576.

(2) Ambergenses tantum obstiterant, ut ex epistola Langueti apparet, ad Ludovicum de Wittgenstein, Electoris ministrum (Grosshofmeister) scripta. *Decades tres Epistolarum*... Ep. 5, 29 julii 1575.

(3) Cf. Calinich : « *Kampf und Untergang des Melanchthonianismus in Kursachsen* » (1570-76). Leipzig, 1866, in-8° (in prooemio). — Cf. Janssen, *Op. cit.*, t. IV.

(4) *Ibidem*.

(5) Cf. « *Encyclopaedie Ersch et Gruber* ». Leipzig, 1844, in-4°. — Bernard Rose : *Caspar Peucer*.

de Coena Domini », a duobus wittebergensibus professoribus composita (1). Quae occasio aulicis Saxonicis, Lindemanno, Pfeiffero et aliis fuit, eos, qui gratia florebant, accusandi, iramque Augusti et uxoris Annae, Lutheranismo unice addictae, adversus « *Philippistas* » (2) aut « *Cryptocalvinistas* » accendendi. Plerique Langueti amici, qui novis doctrinis assentiebantur, aut in exsilium aut in carcerem conjecti sunt. Pezelius Bremam, Mollerus Hamburgum, Esromus Rüdingerus Ambergam et postea in Bohemiam, se receperunt (3). Joachimum Camerarium patrem mors his furoribus liberavit (4). Quod ad Peucerum attinet, qui librum Exegeseos probaverat, tormentis atrocibus cruciatus est, ac postea in variis carceribus multa usque ad annum 1586 (5) perpessus est, ubi quidem « Historiam carcerum » scripsit. Georgius Cracovius tandem, Langueto carissimus amicus, tanquam conjurationis alicujus adversus Electorem auctor fuisset, incarceratus est (1574), ac die 17 martii 1575, postquam ultimis cruciatibus laceratus erat, in carcere repertus est mortuus (6).

Ita Languetus fere omnes amicos aut profugos aut in vincula conjectos viderat (7). Wittebergae professorum sortem lugebat, cum Sidnaeo haec scriberet :« Jam est illius loci tristissima « facies : nam lusciniae quae suo suavi cantu incolarum et ad« venarum aures demulcebant, clangore et strepitu obscoe« narum avium aut inde sunt pulsae aut, amissa libertate, « cantus suos in gemitus et lachrymas converterunt » (8). De

(1) A Pezelio scilicet et Rudingero. Marrius (*Op. cit.*, p. 85), Joachimum Curaeum, medicum et philosophum, ut libri auctorem inducit.

(2) Nomen a *Philippo* Melanchthone datum est.

(3) Cf. Calinich. *Op. cit.*, p. 164-65.

(4) Marrius, *Op. cit.*, p. 92.

(5) Tunc a Joachimo Ernesto, duce Anhaltino, liberatus est, qui filiam Electoris uxorem duxit.

(6) Cf. *Allgemeine deutsche Biographie*, ad verb. *Cracow*. Gerhardus Falkenburgius, 17 julii 1574 scribebat : « In Saxonia de studiis est actum : Cracovius « in custodia misere est mortuus ».

(7) Cf. Ep. 27 ad Sidnaeum, 7 maii 1574.

(8) Ep. 87 ad Sidnaeum, Viennae, 10 julii 1574.

istis autem ad Electorem scribere vix ausus est : cum Augustus ei significasset se ad se unum scribi velle, satis humiliter respondit se ejus mandatis obtemperaturum, his tantum additis : « Solebam scribere ad D. Cracovium ea quae « indicabam esse leviora et vix digna quae ad Vestr. Celsit. « scriberentur » (1). Non possum non mirari Languetum nihil amplius ad amicos defendendos dixisse. At Electori ipsi devotissimus erat, propter tot et tanta ab illo accepta beneficia, praetereaque cum legatus saxonicus remaneret, se evangelicae religionis causae profuturum esse sperabat, quam profecto omnibus amicitiis anteponebat. Sic fortasse Langueti erga amicos negligentia, si non purgari, at certe intelligi potest.

Philibertus Marrius erravit cum scripsit Languetum *mature* (id est anno 1574 aut 1575) dimissionem ab Electore impetrasse, diu tamen postea negotia illius in Caesarea aula procurasse (2). Usque ad annum 1577, Languetus Augusti legatus esse non desiit (3), quamvis interdum nonnulla ei offensioni fuerint. Nempe apud Imperatorem non solus pro Saxonia agebat, nec non ceteri Electoris ministri eum ut calvinistam, et Cracovii Peucerique amicum, aversabantur. Cum Ratisbonae, anno 1575, ab illis pessime tractatus fuisset, Languetus Electoris favore se excidisse putans, eum rogavit num sibi Caesarea aula esset relinquenda (4); Augustus autem benigna epistola testatus est suorum ministrorum inhumanitatem sibi minime placere (5). Eadem fere, anno 1576, in comitiis Imperii Ratisbonae habitis, Languetus iterum passus est; cum enim ad Saxonicos consiliarios divertere vellet, hoc ei significaverunt ut aliud hospitium quaereret (6);

(1) Cf. *Arcana*, I, 2, p. 5-8, 11 maii 1574.
(2) *Op. cit.*, p. 92-93.
(3) De toto hoc negotio, vide Chevreul, *Op. cit.*, cap. VIII, ubi causas Langueti discessus optime exposuit.
(4) *Arcana*, I, 2, p. 131 ssq. Scriptum Electori ipsi datum.
(5) Cf. Ep. 47 ad Sidnaeum, 28 nov. 1575.
(6) *Arcana*, I, 2, p. 196, 30 junii 1576.

qua de arrogantia apud primarium Electoris Secretarium (1), et apud Electorem ipsum vehementer conquestus est (2). Mox inimicorum calumniis Viennae etiam suspectus fuit, quasi ab Electore ibi aleretur, ut consilia Imperatoris exploraret, eaque proderet (3); simul eum gallicum emissarium (4) esse fingebant, quia cum patriae amorem non plane exuisset, saepius cum Gallico legato colloqueretur, nova ab eo audiendi causa (5). Quibus omnibus tandem defatigatus, libertatem recuperare decrevit; scripta igitur longa epistola, in qua reddita per viginti fere annos officia exponebat, ab Electore petiit ut sibi liceret, Vienna relicta, in Galliam tunc recens pacatam se recipere (6): ceterum eo a fratre et affinibus vocabatur, ut paternae haereditatis divisio fieri posset (7).

Quod consilium quas ob causas ceperit, Languetus his verbis, Andreae Dudicio quam optime explicuit (8) : « Quam « periculosum sit conflictari cum calumniis credo te saepius « expertum esse quam velles, nec fortassis es adhuc ab eo « malo plane immunis. *Qui amicos meos perdiderunt*, exis- « timant suis rationibus non conducere, me adhuc utcumque « salvum esse, et propterea me, quibuscumque modis pos- « sunt, traducunt, existimantes se ea ratione inituros gratiam « apud Illustrissimum principem, cui credunt me esse exo- « sum, eo quod, ut ipsi dicunt, *haeresin sacramentariam*

(1) Arcana, I. 2, p. 186, 30 junii 1576.

(2) Ibid., p. [illegible]. Eadem die.

(3) Ibid., p. [illegible].

(4) Cf. [illegible] loc. cit., p. [illegible].

(5) Arcana, I. 2, p. [illegible].

(6) Ibid., p. [illegible], [illegible] jan. 1577. Eam epistolam Treitschke dicit (loc. cit., p. [illegible]) germanica lingua scriptam fuisse; at scimus Languetum germanici sermonis parum peritum fuisse. Treitschke [illegible] translationem tantum epistolae vidit apud [illegible] : « Sammlung zu einer historischen Handbibliothek von « Sachsen » [illegible], p. [illegible]. — Cf. Chevreul, op. cit., p. 126-128.

(7) Arcana, I. 2, p. [illegible].

(8) Bibl. Sainte-Geneviève. [illegible] CI. Epistola inedita Langueti, Pragae [illegible]

« primus in illas regiones invexerim (1). Quoniam animum « principis non potuerunt tam facile expugnare, quam ipsi « sibi persuaserant, dederunt operam ut me hic in odium et « contemptum adducerent. Etiamsi nullius rei sim mihi « conscius, ob quam istos metuere debeam, quia tamen im- « peritus jaculator, saepe jaculando, potest casu scopum « attingere, constitui me recipere in ea loca in quibus spero « meam innocentiam fore tutiorem ab istorum calumniis « quam sit hic, ubi gens nostra (forte non immerito) est « exosa, et iis qui plurimum possunt non valde grati vi- « dentur esse ii, qui sunt addicti ei religioni quam ego « profiteor (2). Petii itaque dimissionem ab Illmo meo prin- « cipe, et ei liberrime causas exposui quae me ad id im- « pulerunt »

Elector Langueto non statim respondit (3), ac quaedam interdum ei apud Imperatorem procuranda mandavit. Sperabat fortasse, fore ut consilium discedendi repudiaret, a quo omnes, et praesertim procancellarius aulae Caesareae, Weberus, eum avertere conabantur (4). Cum tamen proposito tenax videretur esse, ei Elector dimissionem concessit (die 7 febr. 1577) (5), cum ducentis thaleris annuis, quos ipse, ad inopem senectam utcumque sustentandam, poposcerat (6). Aliquot dies amplius Pragae Languetus commoratus est, ut ab Imperatore, nomine Electoris, libertatem (7) religionis evangelicae pro Tirnaviensibus in Ungaria postu-

(1) Haag (*loc. cit.*) errat cum putat Languetum ob senectutem et adversam valetudinem unice dimissionem petiisse.

(2) Novus austriacae aulae status, post Maximiliani II mortem, partim causa fuit, cur Languetus discedere voluerit.

(3) Cf. Ep. 1 ad Dohnam. Pragae, 4 Febr. 1577. In libro epistol. ad Camerarios, p. 267-71.

(4) *Ibidem*, p. 269.

(5) *Arcana*, I, 2, p. 271-73. Cf. Treitschke, *Op. cit.*, p. 28. Cf. Chevreul, *Op. cit.*, p. 130.

(6) *Arcana*, I, 2, p. 267. Languetus, dum pro Electore agebat, ultra trecentos thaleros de suo insumpserat.

(7) *Ibid.*, p. 276-78. Pragae 3 febr. 1577 et p. 282.

laret; in quo quidem negotio parum profecit. Deinde, cum propter bellum in Gallia renovatum, jam non in patriam se posset recipere, Francofurtum sub finem martii contendit, ibi de suis rebus deliberaturus (1).

Ita Languetus saxonici legati officio se abdicavit, Electori autem litteras mittere non desiit, ac cum ducentos thaleros annuos ab eo semper acciperet, eum tanquam dominum, usque ad mortem, habere visus est. Anno 1579, dum Antverpiae vivebat, ab Electore Coloniam ire *jussus est,* ut cum Andrea Paullo de rebus quibusdam colloqueretur: quamvis parum bene valeret, Coloniam profectus est (2).

Sive apud Palatinum principem, sive apud Arausionensem haerenti Langueto, Electoris Augusti negotia curae imprimis fuere. Joanni Casimiro aut Gulielmo operam, quasi sua sponte, neque ulla publici officii necessitate, praebuit (3).

(1) Ep. ad J. Camerarium filium, p. 230. Pragae, Kal. mart. 1577.
(2) *Arcana*, I, 2. Antverpiae, 14 nov. 1579.
(3) Cf. Haag, *loc. cit.* Ultimo tamen vitae anno, Languetus in Gulielmi Arausionensis familiam vere intravit.

CAPUT IV

DE ULTIMIS LANGUETI VITAE ANNIS 1577-81.

Cum Languetus Praga discederet, per Norimbergam iter fecit ut J. Camerarium filium inviseret, et inde Francofurtum profectus est, quo ante mercatus tempus pervenit (1). Ibi autem aut in vicina regione per totum annum haerere debebat. Interea Philippus Sidnaeus, unus e carissimis amicis, qui a Regina Angliae ad novum Imperatorem, Rodolphum, missus fuerat, ut ei regnum acquisitum gratularetur (2), confecto quod mandatum erat negotio, Heidelbergam ad Electorem Palatinum contendit; quam occasionem nactus, Languetus ad eum advolavit; eum etiam in aulam Joannis Casimiri et Coloniam usque comitatus est (3), ita ut viginti fere dies cum eo vivere potuerit, et, initio junii tantum, Francofurtum redierit (4).

Tranquillam in illa urbe vitam apud amicum suum, Wechelum, degere decreverat; sed mox animadvertit se ne ibi quidem quiescere posse, quod saepius in vicinas aulas evocaretur, ubi intempestivis conviviis valetudo jam fracta

(1) Cf. Ep. 29 ad J. Camerarium filium, p. 232-34, 9 april 1577. — *Arcana* I, 2, p. 286-88, prid. Kal. april. 1577.

(2) Cf. Fulke Grevil : « *The life of the renowned Sir Philip Sidney* », 1 vol. in-16. Londini 1652, p. 48.

(3) *Arcana*, I, 2, p. 291-95. Francofurti, 8 junii 1577.

(4) *Ibid.* Cf. Ep. 30 ad J. Camerarium filium, 17 julii 1577. Ep. 54 ad Sidnaeum, 14 junii 1577.

deterior fiebat (1). Per duos menses, catarrhis afflictus, eodem laboravit morbo, qui ante sex annos eum corripuerat, et cujus vestigia in facie etiam tunc circumferebat (2) ; quod quidem molestissime tulit, cum nec legere, nec scribere posset (3).

Inter principes apud quos Languetus tunc frequentissime versatus est, Elector Palatinus imprimis et frater Joannes Casimirus nominandi sunt. Post mortem Friderici III (1576), Ludovicus filius Electoratum acceperat; cum autem non, ut pater, calvinismum profiteretur, sed contra ad Lutheri doctrinas subjectos redigere vellet, inter eum et fratrem Casimirum exorta sunt dissidia, quae contentio quaedam de paterna haereditate magis etiam acuit : codicillus nempe a Friderico secreto factus, Joanni Casimiro urbes Neostadium, Lutream (Kaiserslautern) et Boeckelhemium attribuebat, quas ei frater tradere noluit (4). Ad bellum tantum non ventum est; mox tamen inter fratres pactio ad tempus in Empsensibus thermis facta est (23 junii 1577) (5), qua patris voluntatem exsequi constituerunt; controversia tandem, initio sequentis anni, certo pacto composita est (6). Quo in negotio Languetus, qui cum legato anglico, Rogersio (7), istas difficultates avertere conatus erat, quique fortasse Sidnaeum in Germania retinere, et in familiam Electoris Palatini aut fratris introducere voluerat (8), Joannis Casimiri partes semper secutus erat.

Joannes enim Casimirus, alter Friderici Electoris filius,

(1) Cf. Ep. 31 ad Camerarium filium, 22 sept. 1577.

(2) *Arcana*, I, 2, p. 325-29, 27 nov. 1577. — Cf. Ep. 32 ad Camerarium filium, 5 dec. 1577.

(3) *Ibid.* Cf. Ep. 60 ad Sidnaeum, 28 nov. 1577.

(4) *Arcana*, I, 2, p. 299-302. Francofurti, 4 julii 1577.

(5) Cf. « *Briefe des Pfalzgrafen Johann Casimir* », I, p. 273.

(6) *Ibid.*, p. 291. Heidelbergae, 27 jan. 1578. — Cf. *Arcana*, I, 2, p. 341-42. Kal. febr. 1578.

(7) Ep. 57 ad Sidnaeum, 23 sept. 1577.

(8) Cf. Ep. 55 et 57 ad Sidnaeum, in quibus de conditione quadam, Sidnaeo, oblata, agitur; at incertum est quid illud sit.

solus Huguenotorum et Belgarum causam tueri paratus esse videbatur; qui, anno 1543 natus, cum in aula gallica et deinde in lotharingica educatus fuisset, linguae gallicae peritissimus erat; litteris parum deditus, corpus praecipue exercendum curaverat, ita ut equorum armorumque usu excelleret; robustus iste princeps, qui vini capacissimus habebatur, fratri Ludovico, debili languidoque juveni longe dispar erat. Calvini doctrinam amplexus, auxilium evangelicis, quocumque necesse esset, ferendum censebat, nedum bellum reformidaret; jam 1567-68 et 1574-76 pro Huguenotis in Gallia pugnaverat, atque ut verbum illius temporis usurpem, evangelicae causae quasi « condottiere » erat (1). Hunc Languetus et quia tali erat indole, et quia Electoris Saxoniae gener (2), colebat : Elisabetham enim, Augusti filiam, uxorem anno 1570 duxerat. Multos etiam amicos apud Casimirum Languetus habebat, Ehemium scilicet et Zulegerum, veteres Friderici III consiliarios, Beutterichium, praecipuum Casimiri ministrum, denique comitem Ludovicum a Wittgenstein, qui aulae palatinae *superintendens* jam non erat, sed magnam in Palatinatu auctoritatem servaverat, quamvis se in urbem suam *Berlebourg* recepisset (3). In parva Casimiri aula Languetus tantum valebat, ut anno 1578 in eam Fabianum a Dohna, amicum suum, introducere potuerit (4); qui primum ad Gulielmum, Hessiae landgravium, legatus missus est (5), et postea Casimirum in expeditione belgica comitatus est.

E quibus omnibus facile intelligi potest, cur Languetus Joanni Casimiro, annis 1577-79 sese peculariter addixerit; princeps vero Langueti consiliis libenter utebatur; cum igi-

(1) Cf. « *Briefe des Pfalzgrafen J. Casimir* », in prooemio.
(2) *Arcana*, I, 2. Coloniae, 4 nov. 1578.
(3) Cf. « *Decades tres Epistolarum...* » Ep. 1-7. Languetus cum comite, jam anno 1569 commercium epistolarum habebat.
(4) Cf. Ep. Langueti ad Berzevicium, prid. nonas febr. (4 febr.) 1577. (Post epistolas ad Camerarios). — Cf. Ep. 2 ad Fabianum a Dohna, *ibid.*, p. 271-74.
(5) Ep. 37 ad J. Camerarium filium, p. 256-58. Mense maio 1578.

tur, anno 1578, in difficili negotio involveretur, eum ad se vocare non dubitavit. Nempe, pace in Gallia facta (1), Casimiro Neostadii in otio viventi, Angliae Regina foedus proposuerat (2), ac Generales Belgii Status eum adversus Hispanos auxilio vocaverant (3). Casimirus non diu anceps mansit, Belgasque se armis defensurum pollicitus est (4). Attamen anno 1578 tantum, copiis conscriptis, arcem Lutreae (5), relinquere potuit, admoto, ante discessum, ad consilium Langueto, qui eum periculorum admonuit, quibus obnoxius futurus esset, sed a proposito minime dehortatus est (6).

Jam decimum annum Belgicae Provinciae bellis civilibus turbabantur, ac post immanes Albani ducis caedes, post irritos Commendatoris Castellae, Requesens, labores, una omnes pro libertatis causa pugnare decreverant, Gandavique sese foedere communi conjunxerant (7); quod pactum religionis dissensiones mox rupturae erant. Dum Joannes ab Austria, cum victoriis tum animi mansuetudine clarus, in Belgium pervenit et post aliquot mensium inducias bellum denuo aggreditur, Belgici Ordines, verum suum ducem, Gulielmum Arausionensem, quod evangelicam religionem profiteretur, suspectum habentes, se ad Imperatorem converterunt et ab eo quemdam austriacum archiducem sibi praeponendum postulaverunt. Jam Maximilianus II belgicas turbas componere in animo habuerat (8); filius Rodolphus se inter Belgas rebelles et Regem Hispaniae, pacis arbitrum instituere decrevit. Interdum archiducem Mathiam, quem dulcioribus moribus quam quivis e fratribus praeditum aiebant (9), in Belgium proficisci passus est, quamvis se id im-

(1) Pax in *Beaulieu* (1576) facta, et in *Bergerac* confirmata (1577).
(2) « *Briefe des Pfalzgrafen J. Casimir* », I, p. 272; 23 junii 1577.
(3) *Ibid.*, 20 augusti 1577.
(4) *Ibid.*, 6 sept. 1578.
(5) Id est Kaiserslautern.
(6) *Arcana*, I, 2, p. 368-70, 19 junii 1578.
(7) Die 8 nov. 1576.
(8) Cf. *Decades tres Epistolarum*. — Ep. 2, 30 nov. 1574.
(9) Ep. ad Sidnaeum, 22 oct. 1577.

probare simularet. Mathias quidem mense decembri 1577 a Statibus, provinciarum omnium gubernator declaratus est; imperitus vero et inerti ingenio erat, ita ut ipse nulla auctoritate, Gulielmus vero Arausionensis maxima potestate uteretur. Mathiam Languetus « sub umbra alarum » Gulielmi delitescentem his verbis depinxit : « Est quidem nomen praefecti et gubernatoris penes ipsum Mathiam, sed vis et potestas imperii penes alterum (1) ». Res sese ita habebant cum Casimirus iter Belgicum suscepit; Languetus Francofurto Coloniam migravit, ut ex urbe celebriore et magis vicina locis in quibus bellum gerebatur, certiora Electori Saxoniae referre posset (2). Adversa autem fere tantum nuntianda habuit : Casimirus enim vix postquam in belgicas provincias advenit, a Statibus alienatus fuit, qui militibus ipsius stipendia denegabant; in Flandriam paulo post contendit ut Walones debellaret qui seditionem, catholicae fidei gratia, moverant, et a Flandris dux belli adversus seditiosos creatus est (3). Sed ei dignitas illa mox damno fuit : nempe Gandavensium in pontificios furorem coercere cum non posset, eosque tanquam excitare videretur, Statibus Belgii suspectus factus est.

Inter istos tumultus, consilii inops, Casimirus Langueti operam requirere constituit, et ab eo petiit ut ad se veniret; qui, quamvis se bellis civilibus nondum immiscere voluisset, nec valetudinis imbecillae, neque hibernae Rheni navigationis aut aliorum periculorum rationem habuit, et Gandavum, mense novembri 1578, profectus est; Colonia discedens, Electori Saxoniae scripsit se illud iter suscipere, tum propter humanitatem a Casimiro sibi saepius exhibitam, tum propter arctam necessitudinem qua princeps Electori conjungeretur (4). Gandavi quo circa quintum decimum novembrem

(1) Bibl. Sanctae Genov. *Ep. hæretic.* : Languetus Cratoni, 29 martii 1578.
(2) *Arcana*, I, 2, p. 368-70, 19 junii 1578.
(3) *Ibid.*, Coloniae, 4 nov. 1578.
(4) *Ibidem*.

pervenit (1), Casimirum valde perturbatum reperit, quod Status eum accusarent, quasi Gandavensium contumaciae faveret, et longe majora quam Flandriae praefecturam affectaret; quod quidem, secundum Languetum, principi in mentem nunquam succurrerat. Casimiro a plerisque auctoribus vel ambitio vel imperitia exprobrata est; Languetus contra, eum omni culpa liberare conatus est: eum quippe non solum se Gandavensium protectorem non declarasse (2), sed etiam praefecturam copiarum, in bello adversus Walones, sibi a Gandavensi senatu oblatam, abnuisse (3). Quidquid id est, postquam aliquandiu otiosus Gandavi haesit, Casimirus in Angliam proficisci decrevit, ut regiones illas videret et cum Regina et proceribus anglicis colloqueretur, qui omnes ejus videndi cupidissimi erant (4): alia quoque de qua Languetus nihil commonuit causa fuit, cur Casimirus anglicum iter susciperet, scilicet Gandavum fugere volebat, quia ibi res suae pessimo loco essent (5).

In Angliam Languetus Casimirum comitatus est, quamvis hieme graviter aegrotasset, ita ut ne cubiculo quidem pedem efferre potuisset (6); sed eum cupido Sidnaei videndi praecipue pellebat (7). Gandavo, die 15ª januarii 1579, cum principe profectus est, ac nave Dunkerkiae conscensa, quamvis venti parum secundi essent, Angliam petiit (8). Ad littus, tantum scaphis admotis, propter maris saevitiam, appulerunt, et equis Doveram, Cantuariamque vecti sunt. Ibi autem « Proregi » Hiberniae, Sidnaei patri, occurrerunt, qui a Re-

(1) Herzog, *loc. cit.*, p. 766, falso dicit Languetum tunc a principe Arausionensi vocatum fuisse.

(2) Ut Marrius (*Op. cit.*, p. 96), Niceron, *l. c.*, p. 300), et Chevreul (*Op. cit.*, p. 134), dixerunt.

(3) *Arcana*, I, 2. Gandavi, 20 nov. 1578, p. 768-70 (revera, p. 398-400).

(4) *Ibid.*, Gandavi, 11 januarii 1579.

(5) D'Hozier, *loc. cit.*, p. 61, dicit Languetum Gandavi vitae periculum iniviase. Ibi semper manebat dum militibus suis stipendia solverentur.

(6) Cf. Ep. 40 ad J. Camerarium filium, 22 april. 1579.

(7) Cf. Ep. 71 ad Sidnaeum, 13 jan. 1579.

(8) Cf. Ep. 40 ad J. Camerarium filium.

[illegible] Flessingam. [illegible] februarii pervenerunt [illegible].

[illegible] terris agi- [illegible] remo- [illegible] febr. [illegible] distrahebantur. [illegible] cum Arausionensi [illegible] effecerat ut [illegible] quod tunc parum [illegible] reliquerit [illegible] est [illegible] ab Aus- [illegible] callidis artibus [illegible] nec [illegible] provinciae [illegible] provinciae [illegible] redi- [illegible] Italiam [illegible] conducen- [illegible]

[illegible] Antverpiam [illegible] Antver- [illegible] [illegible] inter [illegible]

[illegible] Antverpiae [illegible]

[illegible]

[illegible]

Belgicos Status ortis restingueret (1). Casimirus verisimiliter praeviderat sese in Belgio apud Arausionensem principem secundas tantum partes acturum; Middelburgo igitur in Germaniam, initio martii, properavit ut suorum equitum praefectos discedentes in itinere assequeretur (2).

Languetus vero, principi Casimiro valedicens, cum Roberto Sidnaeo Antverpiam navigavit, ut aliquid certius de Belgii statu disceret (3), et Gulielmum Arausionensem etiam videret, cui litteras a Sidnaeo datas reddere cupiebat. A principe benigne exceptus est, cum Roberto Sidnaeo, quem Gulielmus in prandio inter conjugem et filiam sedere voluit (4). Antverpiae quoque Languetus multos amicos, Mornaeum Plessiacum (5), et Villerium pastorem (6), et Lanoueum, qui tunc pro belgica libertate pugnabat, reperit, et per aliquot dies jucundo eorum commercio indulsit (7).

Aliquot auctores asseruerunt Languetum tunc temporis officia sua principi Arausionensi detulisse (8); quod minime credendum puto. Sine dubio Gulielmum magna prosequebatur admiratione, quo nullum in orbe christiano praestantiorem virum esse scribebat (9); ei vero se addicere non in animo habebat, cum libertate sibi opus esset, ut Sidnaei fratrem in Germaniam duceret, ac sese diuturna

(1) Ep. 73, ad Sidnaeum.

(2) *Arcana*, I, 2, 10 martii 1579.

(3) *Ibidem*.

(4) Cf. Ep. 73 ad Sidnaeum.

(5) Ep. 78 ad Sidnaeum, 24 maii 1579.

(6) Petrus Villerius Loiselerius, evangelicae religionis minister, e Gallia primum in Angliam fugerat, et postea, in Belgio, principis Arausionensis capellanus et consiliarius factus erat; anno 1580, Languetus (ad Sidnaeum, Ep. 89, 6 maii) dicebat nullum esse qui plus posset apud Arausionensem quam Petrum Villerium. — Cf. Haag, *loc. cit.*, in verb. « Pierre Loiseleur. »

(7) Cf. Ep. 74 ad Sidnaeum 16 martii 1579.

(8) Cf. Chevreul, *Op. cit.*, p. 138 et 163. Thuanus ac Teissierus dixerunt falso Languetum ex aula saxonica statim ad Gulielmum confugisse (*Hist. sui temporis*, I. II, p. 18, et IV, LXXIV. « *Les Eloges des hommes sçavans.* » I, p. 511-13).

(9) Ep. 73 ad Sidnaeum.

quiete reficeret. Quid quod Electori Saxoniae semper de omnibus referebat, et ei devinctus remanebat; Electorem enim, quamvis quaedam egisset, quae ipsum non egisse maluisset, magni faciebat, atque audita morte unius e filiis vicem parentis vehementer doluit (1).

Antverpia mox relicta, Languetus cum Roberto Sidnaeo, Dordracum navigavit et inde, per Arnemum, Coloniam contendit (2) : iter sane non longum, at periculosum, propter latrones, quorum magna copia in regione erat : legatus anglicus, Daniel Rogersius, mense octobri 1580 a praedonibus prope Cliviam captus plures menses in vinculis haesit, antequam pecunia data liberaretur (3). Itinere tamen sine noxa confecto, Coloniam Languetus pervenit : cum ibi catarrho laboraret, Robertum Sidnaeum prae se Francofurtum misit (4), sed eum paulo post secutus est, ut mercatui Francofurtensi adesset; ad quem, mense aprili, adeo languidus et fractus omnibus viribus accessit, ut vix centum passus ambulare posset, quin plane defatigaretur (5). Itaque ob adversam valetudinem ad Thermas Badenses proficisci decrevit (6), postquam Sidnaei fratrem Argentoratum duxisset, ubi eum, ut studeret, relicturus esset. Per Neostadium itinere facto, ut Joannem Casimirum inviseret (7), sub finem aprilis Argentoratum advenit, ubi a Joanne Sturmio impetravit, ut Robertum Sidnaeum apud se hospitem reciperet (8). Omnibus rebus ita compositis, ad Thermas Antoninas aut Badenses tandem contendit, ut vires laboribus et

(1) Ep. 74 ad Sidnaeum. 16 martii 1579.

(2) Arnemo Coloniam, quinque dierum spatio pervenit. Cf. Ep. 75 ad Sidnaeum, 7 april. 1579.

(3) Cf. Ep. 96 ad Sidnaeum. 22 oct. 1580. — Ad Buchananum, 20 febr. 1581 — *Buchanani opera* II, p. 764-65.

(4) Cf. Ep. 75 ad Sidnaeum. Ep. 40 ad J. Camerarium filium.

(5) *Arcana*, I, 2. 17 april. 1579, p. 407-409 (falso 777-79).

(6) *Ibidem*.

(7) Chevreul (*Op. cit.*, p. 144) errat cum putat Languetum Argentorati Joanni Casimiro et Roberto quoque Sidnaeo primum occurrisse.

(8) Cf. Ep. 77 ad Sidnaeum. 4 maii 1579.

morbis fractas, quiete et lotione repararet; quod ipsi optime successit (1).

Tunc primum Languetus Thuanum novit, qui, cum Argentoratum venisset, ingenti cupiditate Languetum videndi motus, Badenas usque progressus est. In secundo *vitae suae* libro Thuanus narravit, quomodo per triduum cum Langueto assidue egerit, illius candore, insigni probitate et prudenti in litteris aut in publicis negotiis judicio ita captus, ut eum vix per tempus relinqueret, quod aquis sumendis impenderet (2). Colloquium eorum satis lepidum interdum fuit, ex. gr. cum Languetus de Comite Isenburgico verba faceret qui se a Coloniensi archiecopiscopatu abdicaverat, ut Joannam Ligneam uxorem duceret (3). Doctis tamen et eruditis sermonibus plerumque horas terebant; sic Thuano Languetus exposuit, quomodo, sublato per Lutheri reformationem caelibatu, nobilium familiae in Germania gravarentur, quippe quae nunc filiabus redundarent, cum antea filiae, monasteriali vitae se devoventes, saepius opulentorum coenobiorum antistitae evaderent (4). Tunc quoque Languetus pro Thuano parvum illud de Imperii Germanici statu scriptum composuit, de quo supra mentio facta est (5).

Postquam se in Thermis (6) paululum refecit, Languetus Antverpiam redire decrevit; at Francofurti ac Coloniae in itinere constitit, quod rursus aegrotabat (7). Tandem initio octobris 1579 Antverpiam reversus est, ubi habitavit in ae-

(1) Ut Wackero, « *post viginti dies*, » scribebat. Bibl. Sanctae Genovefae. *Ep. haeretic.*, III. Ep. inedita Langueti, 13 junii 1579. Falso ut julii scripta datur, namque jam die 24 maii e Thermis ad Sidnaeum litteras mittebat Languetus.

(2) Thuanus, Vitae suae libro II, p. 18.

(3) Cf. Thuanus, *loc. cit.* — Marrius, *Op. cit.*, p. 106-107.

(4) Cf. Thuanus, *ibid.*, p. 19. — Marrius, *Op. cit.*, p. 109.

(5) Vide supra Cap. III, et infra App. I. Cum Thuanus Augustam Vindelicorum visitaturus esset, Languetus multa ei de istius urbis divitiis et statu exposuit.

(6) Electoris Palatini uxorem Badenis etiam vidit. Cf. *Arcana*, I, 2. 7 julii 1579. Francofurti.

(7) *Arcana*, I, 2. Coloniae, 11 augusti 1579.

dibus Christophori Plantini (1); qui e Turonibus Antverpiam circa annum 1550 venerat, et typographiam ibi instruxerat; anno 1579, magnis jam opibus collectis, splendidam domum (2) emerat, in qua Languetus, jamdiu amicitia cum eo junctus, ab eo et a familiaribus ejus, Kiliano, Pullmanno et genero Joanne Moreto (3), optime exceptus fuit. Alios quoque amicos Languetus Antverpiae reperit (4), et cum Mornaeo Plessiaco, Gandavi tunc haerente, commercium epistolarum habuit : Plessiacus enim, qui librum quemdam ad veram religionem restituendam componebat, Langueti consilium saepius exquirebat, ab eo praecipue moderationem in scribendo discere cupiens (5). Antverpiae Languetus vix secundum mensem vivebat, cum ei Coloniam recurrendum fuit; quare autem illud iter susceperit expedire oportet.

Anno 1579 tandem Imperator Rodolphus propositum suum exsequi potuerat, scilicet ut inter Hispanos et Belgas arbiter pacis haberetur. Rex Hispaniae ad colloquium de pace, Coloniae habendum, ducem de Terra Nova misit (6), dum Imperator comitem Schwarzburgium (7), Trevirensem Coloniensemque Electores, ac episcopum Herbipolensem legatos constituebat (8); pro archiduce Mathia et Generalibus Belgii Statibus, dux de Aerschott et quidam alii Coloniam venerunt; pro pontifice etiam romano, Rossanensis archiepiscopus (9). Sed conventus ille parum proficere poterat : Belgici enim Status religionis libertatem ante omnia obtinere con-

(1) Ep. 79 ad Sidnaeum, Coloniae, 24 sept. 1579.

(2) Cui nomen datum fuit : « *La maison du marché du vendredi* ».

(3) Cf. Degeorge : *La maison Plantin à Anvers*. 1 vol. in-8°. Bruxellis 1878. In prooemio.

(4) Lanoueum ibi vidit. *Arcana*, I, 2. 29 oct. 1579.

(5) Is liber fuit *de Veritate Religionis Christianae*. Cf. Ep. Plessiaci ad Languetum. Gandavi 15 nov. 1579. « *Memoires et correspondance de Duplessis-Mornay* », t. II, p. 80-81.

(6) *Arcana*, I, 2. 24 sept. 1578.

(7) Quem Languetus semper Schwarzebergium appellat.

(8) Cf. *Arcana*, I, 2. 17 april. 1579.

(9) *Ibid*. Cf. Wenzelburger, *Op. cit.*, II, p. 177 ssq.

stituerant, quam Rex Hispaniae ipsis concedere nullo modo volebat; imo commissarii Rodolphi, pacis arbitri, se in religione nihil libertatis Belgis tribuere posse profitebantur, ne Imperatoris subditi ad eamdem libertatem petendam incitarentur (1). Conditionibus a legato hispanico, mense julio 1579, propositis assentari Status non potuerunt, ita ut sub finem anni, commissarii Imperatoris, post quatuor mensium exspectationem, Colonia re infecta discesserint.

Eodem vero tempore, Belgium quam maxime bello et ducum simultatibus agitabatur; cum enim Parmensis dux cum Walonibus tractaret, fortasse in eo erat ut Mathias, et Arausionensis princeps et etiam dux Alençonius, quocum semper de foedere agebatur, inter se confligerent. Valde incertum erat, si septentrionales provinciae Hispaniae imperium repudiaturae essent, quis ab eis dominus eligeretur.

Quae cum ita essent, Elector Saxoniae tempus opportunum esse credidit, ut se rebus belgicis immisceret (2); sed cum dubitaret quid sibi faciendum esset, Languetum in consilium adhibere decrevit. Hunc igitur jussit Coloniam contendere, et ibi cum Andrea Paullo, Saxonico ministro, rem conferre; Languetus autem, quamvis non bene valeret, Coloniam statim est profectus (3).

Ea est causa cur Coloniam iter facere aggressus sit, quam quidem omnes scriptores ignoraverunt, plerumque putantes Languetum a principe Arausionensi Coloniam missum fuisse, ut deliberationes conventus audiret ac diversarum partium consilia discerneret (4); quod quidem Langueto, post praecipuorum legatorum discessum, difficillimum sane fuisset. Adde quod Languetus in isto negotio Electoris Saxoniae tan-

(1) Bibl. Sanctae Genovef. *Ep. Haeretic.*, III. Ep. Langueti ad Cratonem. Coloniae, 21 dec. 1579.

(2) Haec omnia ex epistolis Langueti et praesertim e relatione Andreae Paulli, Saxoniae legati, de colloquio cum Langueto habito, inferre potui. Cf. *Briefe des Pfalzgrafen J. Casimir*, *loc. cit.*, I, p. 362-63.

(3) *Arcana*, I, 2. Antverpiae, 14 nov. 1579.

(4) Cf. P. Niceron, *loc. cit.*, p. 300. — Treitschke, *Op. cit.*, p. 35. — Chevreul, *Op. cit.*, p. 147.

tum jussa exsecutus est; imo, cum Antverpiam reliquit, nesciebat quibus de rebus cum Andrea Paullo sibi deliberandum esset (1).

Coloniam initio decembris pervenit (2), ac paulo post Andreas Paullus ei occurrit, quocum per decem aut duodecim dies haesit (3), et de Belgicarum Provinciarum statu collocutus est (4) : res eo loco esse dixit, ut princeps Arausionensis pactum cum Hispanis non posse fieri existimaret; quod si provinciae novum sibi dominum eligere vellent, certe nullum austriacum, ne archiducem Mathiam quidem, suffragia populi sibi conciliaturum credebat; Alençonio autem id damno futurum, quod Galliae thronum acquirere posset; inde fore ut Belgici Status ad principem, cujuslibet alius dominationis spei expertem, confugerent. Languetus sane speraverat unum ex Electoris Augusti filiis, Belgii principem evasurum : sed e decem filiis unus tantum, sub finem anni 1579, supererat, Christianus scilicet, qui Saxoniae Elector post patris mortem futurus erat. Nunc fortasse princeps quidam Coburgensis (5) imperium in Belgio adipisci poterat, nam Languetus Arausionensem non passurum se eligi judicabat. Ceterum utcumque res sese habitura erat, Electori Languetus suadebat ut cum Daniae et Angliae regibus, non cum Imperatore, qui rebus Hispanorum faveret, de pace belgica ageret (6).

Post illud cum Andrea Paullo colloquium, Languetus hieme Antverpiam rediit, nec sine magnis difficultatibus, Rheno glacie obducto, et latronibus per totam regionem saevientibus. Dordraci quatuordecim dies propter maritimas

(1) Cf. Ep. 81 ad [illegible] 14 nov. 1579.

(2) Die quarta decembris. Cf. Arcana, I, 2. Coloniae, 8 dec. 1579.

(3) Cf. Ep. [illegible] Dordraci, [illegible] 1580. Post epistolas ad Camerarium, [illegible]

(4) [illegible] 2, 89 [illegible] 1580.

(5) [illegible] Coburgensem principem [illegible]

(6) [illegible] 362–63. — Andreas [illegible] 1580.

procellas commoratus, tandem Antverpiam, die 20 januarii, advectus est (1). Ibi principem Arausionensem statim adiit, ut eum salutaret, et fortasse de itinere suo verba faceret (2). Postquam autem Arausionensis in Hollandiam paulo post profectus est, Languetus Antverpiae per tres menses haesit, dulci amicorum consuetudine usus. Saepius etiam Sidnaeum per epistolas hortatus est, ut in Belgium veniret; Sidnaei enim res non optimo loco in Anglia erant : cum dux Alençonius in Angliam transiisset, ut Reginam uxorem duceret (3), Sidnaeus isti conjugio vehementer erat adversatus (4), quia sicut legatus anglicus Davidson (5), Alençonium belgicis tantum provinciis nubere velle intellexerat. Sed Regina id aegre tulerat, quod se gallico conjugio indulgere simulabat; Sidnaeus igitur favore tunc exciderat; in Belgium tamen non profectus est.

Interea Languetus ad Electorem Saxoniae scribere non desinebat, cui tunc omnes evangelicas ecclesias communi fidei pacto jungere propositum erat. Nempe post omnes de Lutheri et Melanchthonis doctrinis controversias, germanici principes tranquillitatis desiderio tenebantur, ac simul inutiles de Coena Domini contentiones ad tempus praetermittere cupiebant, ut Lutherani cum Calvinistis arctum foedus inire possent. Jam anno 1578, theologus quidam wirtembergensis, Jacobus Andraea, librum « *De Concordia* », composuerat, de quo in tota Germania tunc disputabatur (6). Librum Languetus plane improbabat, quia in eo Andraeam « Brentiana (7)

(1) *Arcana*, I, 2, 26 jan. 1580. Ep. 83 ad Sidnaeum, 30 jan. 1580. Marrius, *Op. cit.*, p. 113.

(2) Cf. Ep. 83 ad Sidnaeum, 30 jan. 1580.

(3) Cf. « *Decades tres Epistolarum...* » Ep. 6 ad comitem L. de Wittgenstein. Ult. die aug. 1579.

(4) Cf. Ep. 96-(95) ad Sidnaeum, 22 oct. 1580.

(5) Cf. « *Briefe des Pfalzgrafen J. Casimir* », I, p. 644-49. Davidson ad Walsinghamum.

(6) Cf. Janssen, *Op. cit.*, t. IV.

(7) A theologo Brentio.

deliria » de ubiquitate corporis Christi inseruisse dicebat (1). Quamvis Elector Saxoniae Andraeae operi faveret, concordiam facere non potuit. At consilio jungendi omnes evangelicos Europae non destitum est, ac Languetus cum amicis, Mornaeo scilicet Plessiaco, qui tunc librum « *de veritate religionis christianae* » edebat, Philippo Sidnaeo, et Carolo Danzaeo, Gallico in Dania legato, per annos 1580-81 operam sine intermissione dedit, ut Rex Navarrae, Angliae Regina, Rex Daniae et Germanici Imperii principes de religione consentirent (2); quod iis male successit (3).

Aliud simul anno 1580 Langueto negotium a principe Arausionensi mandatum est, qui tunc undique insidiis circumdabatur, cum in septentrionalibus Belgii provinciis inimicos multos haberet, et cum ei Hispani dira minarentur; imo, in eo erat ut Parmensis dux proscriptionem a Rege Philippo edictam publicaret, qua princeps sicariorum ictibus devoveretur, indicto capitis ipsius pretio (4). Ut tot pericula averteret, Gulielmus necesse esse intellexit, sibi socios conciliare, ac pro suis rebus seorsum cum Alençonio duce agere decrevit, ad quem Belgici Status magnam legationem missuri erant. Postquam igitur ex Hollandia Autverpiam, die 25 aprilis, rediit (5), a Langueto petiit ut ad Alençonium tanquam privatus legatus contenderet.

Tunc primum Languetus sese Arausionensi principi vere addixisse videtur, quo jamdiu amico utebatur, et cum cujus filio, Mauritio, in baptismo unius e Mornaei Plessiaci filiis, patrinus fuerat (6). Ab anno 1572 Languetus Galliam non

(1) Bibl. Sanctae Genov. *Ep. Haeretic.*, III. Languetus Wackero. Badenis, 13 junii 1579.

(2) Cf. *Mémoires et Correspondance de Duplessis-Mornay*, t. II, p. 84-94. Ep. Mornaei Plessiaci Danzaeo. Ult. die febr. 1580, p. 100-118. Ep. Danzaei Plessiaco, 14 junii et 6 nov. 1580.

(3) Annis sequentibus, Henricus IV idem negotium renovare conatus est, per legatum, de Segur-Pardailhan. Cf. Anquez, *Op. cit.*, p. 7.

(4) Cf. Dumont. *Corp. Dipl.*, VI, p. 368-76.

(5) Cf. *Arcana*, I, 2, 6 maii, 1580.

(6) Cf. Chevreul. *Op cit.*, p. 149.

inviserat; sed ut Arausionensis commodis serviret, neque periculorum quae, bello civili saeviente, maxima erant, neque imbecillae valetudinis rationem habuit, ac mense maio 1580 profectus est. Cum autem solus iter facere nollet, non sane magnae Belgicarum Provinciarum legationi quae tantum mense augusto in Galliam itura erat, sed legatis tunc a Flandris ad Alençonium missis sese adjunxit (1).

De illo itinere multa falso auctores scripserunt. Alii Languetum in Galliam contendisse putaverunt, ut Carolam Borboniam, Gulielmi uxorem, in gratiam patris, Ludovici Montpenserii, restitueret (2) ; alii, ut res suas privatas administraret (3). D'Hozier primus veram itineris causam indicavit (4), quam recentiores scriptores, edita quadam Arausionensis uxoris ad Languetum epistola, firmissimo argumento probaverunt (5). Carola Borbonia enim, jam die 12 aprilis 1580, Languetum hortabatur ut, pro suo erga principem Arausionensem amore, in Galliam ad procuranda quaedam privata negotia proficisceretur, atque ita et de amicis et de republica bene mereretur (6). Illa epistola omnem dubitationem de iis quae Langueto mandata erant sustulit, quae quidem eo justior erat, quod Languetus ipse, in epistolis ad Augustum Electorem, se res Gulielmi facturum dissimulavit, ac dixit se in Galliam unice iturum ut pecuniam exigeret, quae etiam tum ex haereditate paterna ipsi deberetur (7) ; e Gallia regressus, Electori qui illud iter verisimiliter suspectum ha-

(1) Cf. Ep. 89 (90) ad Sidnaeum, 6 maii 1580. *Arcana*, I, 2. Ult. die julii 1580. Marrius, (*Op. cit.*, p. 114-117), Treitschke (*loc. cit.*, p. 36), et Chevreul (*Op. cit.*, p. 153-157) errant cum Languetum magnae belgicae legationis participem fuisse dicunt; Languetus in Belgium redierat antequam legatio iter suscepisset. — Cf. *Arcana*, I, 2. Ep. 183-186. Ep. 91 (92) ad Sidnaeum. Antverpiae, 24 julii 1580.

(2) Marrius. *Op. cit.*, p. 114.

(3) Haag, (*loc. cit.*). — Niceron, *loc. cit.*, p. 301, dicit iter illud anno 1581 tantum, factum fuisse.

(4) *Loc. cit.*, p. 63.

(5) Cf. Groen van Prinsterer. « *Archives ou Correspondance inédite de la maison d'Orange-Nassau* », Ire série, VII, p. 335-36. — Chevreul. *Op. cit.*, p. 157.

(6) *Ibidem*. Cf. Ep. 89 (90) ad Sidnaeum, 6 maii 1580.

(7) *Arcana*, I, 2. Ep. 183, 6 maii 1580.

bebat, scripsit se, in Gallia, sua et « quorumdam aliorum » privata negotia confecisse (1).

Nos praecipue epistolae ad Sidnaeum de gallico itinere commonent (2); quod quidem parum feliciter inceptum est. Rheda enim qua vehebatur eversa, Languetus, gena dextra, gladio assidentis (3) vulneratus est, ita ut multum sanguinis effluxerit. Die 20 maii tamen Lutetiam pervenit (4), unde Turodunum ad Alençonium contendit, qui eum et Flandriae legatos comiter excepit. Saepius cum duce, et quidem familiariter, Languetus collocutus est (5), et eum ingenio potius ad humanitatem quam ad superbiam propenso esse judicavit. Quis colloquiorum exitus fuerit, non Languetus, sed Mornaeus Plessiacus nos monuit. In quodam enim commentario, Thuani historiis addito, dixit inter Languetum et Alençonium hoc convenisse, principi Arausionensi, si dux Belgii thronum acquireret, Hollandiae et Zelandiae dominium relictum iri (6). Multi (7) istud secretum negotium Marnixio Santaldegondio (8) attribuerunt, at Marnixius qui magnam omnium Provinciarum legationem duxit, ante omnia Statuum legatus fuit; Languetus autem pro Arausionensi tantum egisse videtur (9).

In Belgium rediens, Languetus febri ita vehementi labora-

(1) *Arcana*, I, 2. Ep. 184. Antverpiae. Ult. die julii 1580.

(2) Chevreul, *Op. cit.*, p. 153-57, quasi fabulam narravit, nulla ratione Langueti epistolarum habita.

(3) Falso Chevreul, *Op. cit.*, p. 154, Languetum Santaldegondii gladio vulneratum fuisse retulit.

(4) Cf. Ep. 90 (91) ad Sidnaeum. Lutetiae, 22 maii 1580.

(5) Cf. Ep. 91 (92) ad Sidnaeum, 24 julii 1580. *Ibid.*, 96-(95), 22 oct. 1580.

(6) Cf. Thuani *Historias sui temporis*, lib. CXXXVIII. T. VI, p. 147. Editas Hagae, 1740, in-1°.

(7) Cf. Strada. *De bello belgico, decades duo*, 2 vol. in-12. Lutetiae 1648. T. II, p. 220; anno 1581 : « Aldegundium autem transegisse (clam ceteris lega- « tis), cum Alençonio, ab eoque litteras expressisse, quibus ipse polliceretur se « Hollandiam, Zelandiamque Orangio ejusque liberis beneficiarias traditurum, « *legi ego* in arcanis ad Alexandrum notis. »

(8) Marnixius Santaldegondius (1538-98) unus e ducibus rebellionis adversus Hispanos fuerat: legationibus praecipue functus erat, ac anno 1578 Wormatiam missus, principes Imperii hortatus erat ut Belgis succurrerent.

(9) Cf. Marrium, *Op. cit.*, p. 117. — Chevreul, *loc. cit.*

ut omnibus fere corporis viribus frangeretur (1); per Alemanniam itinere facto, ut Picardiam vitaret, propter multitudinem militum ibi vagantium, periculosam (2), Antverpiam mense julio 1580 pervenit. Cum ibi tranquillus haereret, Belgicorum Statuum legati in Galliam tandem missi, Plessiaci cum Alençonio (19 sept. 1580) foedus inierunt : Alençonius Belgii imperium obtinuit, sed ad conditiones a Statibus propositas accessit, scilicet pollicitus est se Provinciarum jura servaturum, et effecturum ut Rex frater, tumultibus Galliae compositis, aut Hispanis bellum indiceret, aut ipsi milites suppeditaret, quibus Belgium a dominatione Hispanorum liberare posset (3). Isto foedere Belgae valde laetati sunt, at Alençonius post duos annos tantum in Belgium venturus erat.

Interea Languetus sese Arausionensi principi magis atque magis addixit. Cum Gulielmus in Hollandiam profectus esset, ut Provinciarum conventui, Delphis Batavorum habito adesset, eum Languetus sub finem octobris 1580 secutus est (4), et quamvis Electori Saxoniae de omnibus referre non desierit, vere in Arausionensis familiam intravit, quippe qui in diversis epistolis se principis *jussa* exsecutum esse dixerit (5), atque ei multa praestiterit officia. Cum proscriptio adversus Gulielmum (6), ab Hispanis in vulgus emissa esset, princeps publico scripto respondere decrevit, et *Apologiam* suam, qua omnes accusationes refutabat, et Regis Philippi malos mores crudelitatemque exprobrabat, ante Generales Belgii Status, 13 dec. 1580, legendam curavit (7). Illam Apologiam falso

(1) Cf. Ep. 91 (92) ad Sidnaeum. 21 julii 1580.

(2) Cf. *Arcana*, I, 2. Ep. 184. Ult. die julii 1580.

(3) *Ibid.* Ep. 189.

(4) Cf. Ep. 96 ad Sidnaeum. 28 octobris 1580. « Eum (Gulielmum) cras, Deo « dante, subsequar, *jussus ab eo* id facere ».

(5) *Ibid.* Cf. Ep. ad Buchananum, 20 febr. 1581 (falso ut 1580 scripta datur). *Opera Buchanani*, II, p. 761-65.

(6) De qua, vide supra, p. 100.

(7) Cf. Dumont, *Corp. Diplom.*, VI, p. 381-406. — Cf. « *Apologie du prince d'Orange*, » in-4° Delphis Batav. 1581.

Langueto attributam (1), Gulielmi capellanus, Villerius, composuerat; princeps autem eam ad Langueti et Mornaei Plessiaci judicium deferri voluit; qui quidem eam paululum emendaverunt, ablatis quibusdam ferocius scriptis (2).

Anno 1581, Arausionensis auctoritas in dies crevit; archidux autem Mathias, consilii inops, per legatos a Statibus petebat, ut sibi debita ex promisso stipendio pecunia solveretur (3); nam cum aere alieno gravaretur, creditores impediebant ne Antverpia discederet. Tandem mense junio 1581, se Belgicarum Provinciarum praefectura abdicavit (4), ac paulo post (26 julii 1581) confoederatae Provinciae Regis Hispanici imperium abrogaverunt. Quo facto, Alençonius solus Belgii dominus futurus esse videbatur, cum re ipsa Arausionensis totam potestatem obtineret (5). Ista omnia Languetus mira sagacitate descripsit.

Cum in Batavorum lacunis Languetus viveret, quae, ut aiebat, « a natura factae videntur, ut eas ranae et anguillae « potius quam homines incolant » (6), caeli frigore laboravit, et cum morbis per totam hiemem conflictatus est (7). Hollandiam tamen non potuit non diligere, atque in epistolis regionem illam laudibus extulit, ut in qua Leidae (Lugduni Batavorum) Universitas, anno 1575 condita, jam professores egregios, Danaeum in sacris litteris eruditissimum, Justum Lipsium, aut Donellum jurisconsultum praeberet, Janus Douza poeta floreret, Roterodamus Erasmo cive gloriaretur (8).

(1) Cf. Treitschke, *loc. cit.*, p. 41.

(2) Cf. Chevreul, *Op. cit.*, p. 160-163. — Cf. Annotationem quamdam Mornaei Plessiaci ad historias Thuani, V, p. 813. Hagae 1740.

(3) Bibl. Sanctae Genovefae : *Ep. haeretic.*, III. Languetus ad Cratonem, mense januario 1581.

(4) *Ibid.* Alia epistola Langueti ad Cratonem. Antverpiae, 27 junii 1581.

(5) Cf. Wenzelburger, *Op. cit.*, II, p. 502 seq.

(6) Ep. ad Buchananum jam citata.

(7) Bibl. Sanctae Genov. *Ep. haeretic.*, V. Ep. ad Linghelshemium. 28 januarii 1581.

(8) Ep. ad Buchananum jam citata.

initio martii 1581, Languetus Antverpiam rediit (1). Eum [illegible] ad germanicos principes legatum mittere in animo habuit, ut religionis pacificationem necessariam procuraret (2): quod non potuit fieri. Languetus enim, vitae semper [illegible] laboribus dudum debilitatus, ac morbis etiam [illegible], Antverpiam jam non relicturus erat. In autumno, febri violenta correptus, lecto decumbebat, ac die 30 septembris 1581, inter tertiam et quartam horam, post medium noctis, mortuus est (3).

Die 8 septembris, ultimam Electori Saxoniae epistolam scripserat (4), et usque ad extremum, integrum servaverat judicium. Sciebat se brevi moriturum, ac vitae sine moestitia valedicebat: aiebat se ad mortem sicut ad amicos videndos ire, mundum autem perfidia plenum esse neque ullos honestos probosque principes jam subsistere (5). Christiana pietas et amicitia eum in morbo sustinuerunt. Mornaei Plessiaci conjux (6), quae ei tunc assidebat, et Plessiacus ipse (7) narraverunt, quomodo « vitam optime actam, mors optima, « placidissima, mors in Christo beatissima et beatissimae « vitae proxima, laude et gloria coronaverit ». Se hoc tantum dolere Languetus dixit, quod Mornaeum Plessiacum ante mortem non vidisset (8): auream catenam, istius amicitiae pignus, Plessiaci conjugi dedit (9), et antequam testamentum scriberet, animam exhalavit (10).

Ceterum nullas opes haeredibus suis relinquebat: nonnulla signa, numismata et volumina in domo reperta sunt.

(1) Cf. *Arcana*, I, 2, Ep. 194. Antverpiae, 8 martii 1581.

(2) Cf. Groen van Prinsterer, *Op. cit.* VII, p. 536 sqq. Joannes Nassavius Arausionensem hortatur ut Languetum in Germaniam mittat. Ep. aprili mense 1581 scripta.

(3) Cf. Ep. Danielis Molinaei de Langueti morte. App. II.

(4) *Arcana*, I, 2, p. 495-96.

(5) Cf. App. II.

(6) Cf. « *Memoires de Madame de Mornay* » I, p. 27.

(7) Cf. Praefationem libri de veritate religionis christianae, latine editi.

(8) Cf. « *Memoires de Madame de Mornay* » I, p. 133.

(9) Cf. App. II.

(10) *Ibidem*.

una vix viginti millibus librarum gallicarum aestimata (1). Sepositi vero sunt commentarii ipsius, quos quam plurimos habebat, ne forte in hostium manus inciderent (2).

Splendidam funeris pompam ipse Arausionensis princeps, cum Belgicorum Ordinum proceribus, et Antverpiae magistratibus, deduxit, ac Theodorus Beza epitaphium composuit, quo Langueti virtutes, morum elegantiam et gravitatem, animique magnitudinem, laudibus debitis celebravit (3). Omnes qui eum noverant, magnum eumdemque justum virum defleverunt, atque Elector Saxoniae, tot et tantorum illius officiorum memor, ei cenotaphium exstrui jussit (4).

(1) Marrius, *Op. cit.*, p. 130.

(2) *Ibidem*. Forsan illi commentarii in Hollandia inediti manserunt.

(3) Epitaphium a Beza compositum in omnibus epistolarum Langueti editionibus datur. — Cf. quoque Chevreul, *Op. cit.* Note 9.

(4) Quod quidem non aedificatum est. Joanni Matalio Metello cura mandata fuerat ut titulum cenotaphii componeret. Cf. Marrium, *Op. cit.*, p. 143.

CAPUT V

QUIBUS LANGUETUS USUS FUERIT AMICIS.

Postquam Languetum per diversos publicae vitae casus usque ad mortem secuti sumus, quodammodo in familiaritatem ipsius penitus penetrare oportet, ut tot et tantae aut auctoritatis aut scientiae viros recenseamus, qui eum amicitia prosecuti sunt. Languetus nempe, qui nunquam uxorem ducere voluerat, qui etiam parentes in Gallia reliquerat, atque in exteris regionibus, procul a propinquorum amore, vixit, amicitiae pretium eo magis sentiebat, et, sicut Cicero, eam sal et condimentum esse vitae profitebatur (1). Plurimos igitur habuit amicos, et quidem inter clarissimos et maximi ingenii ejus temporis viros, quos cum in longinquis peregrinationibus, quibus fere totam Europam inviserat, tum in legationibus, in Gallia, in Imperio Germanico, aut in Belgio noverat. Iter longum facere ad amicos videndos nunquam dubitavit : sic, quoties potuit, Francofurtum tempore mercatus perrexit, ut inclytis doctoribus aut typographis occurreret, qui eo ad libros novos acquirendos conveniebant; imo in Angliam, anno 1579, fortasse tantummodo Sidnaei videndi cupiditate pulsus, contendit, quamvis hiems navigationis pericula et molestias augeret. Ad amicos, quos alloqui non poterat, scripsit et epistolarum commercium frequentissimum cum omnibus habuit. Arcana sexti decimi saeculi et epistolae

(1) Ep. 13 ad Sidnaeum, 5 febr. 1574.

ad Camerarios et ad Sidnaeum, id est fere quidquid e Langueti epistolis in vulgus editum est, fortasse earum est tantum pars exigua. Vix aliquot ad Melanchthonem, ad Fabianum a Dohna, ad comitem de Wittgenstein epistolas novimus, dum Germaniae aut Hollandiae archiva multas alias sine dubio praebere possent. Nonnunquam Languetus in epistolis scribendis dies et noctes consumpsit, atque ex. gr. anno 1574, Sidnaeo nuntiabat, se tot epistolas Francofurtum mittere cogi, ad amicos qui eo ex variis locis venerant, ut sibi necesse esset noctes insomnes transigere (1).

Inter Reges et principes, inter regnorum ministros, inter notissimos evangelicae religionis theologos, inter doctissimos saeculi viros, amicos quosdam numeravit Languetus : quorum alios silentio praetermittere, alios nomine tenus commemorare, nonnullos tandem diligentius per vitae vices sequi mihi propositum est.

De Electore Saxoniae jam saepe mentio facta est, cui per viginti annos relationes de omnibus scribere non desiit; illius legatus non mansit, quia nefas esse putavit, maximo favore apud principem valere qui plerosque amicos in exsilium aut in carcerem conjici jussisset; at officio ipse se abdicavit, invito Electore, qui eum legatum servare voluisset, quod fidem propriam semper aperte professus esset, dum ceteri suam dissimularent (2).

Rex Gustavus Wasa, in Suecia, Imperator Maximilianus in Germania, Regina Elisabetha in Anglia, eum semper cum honore exceperunt, quippe cujus sagax de publicis rebus judicium magni facerent; Catharina de Medicis, in Gallia, cum eo seorsum colloqui dignata est. Joannes Casimirus, palatinus princeps, eum in Belgium et etiam in Angliam secum abduxit, et ejus consiliis saepius usus est (3). Cum comite

(1) Ep. 16 ad Sidnaeum. Viennae, 26 febr. 1574.

(2) Cf. Mornaei Plessiaci annotationem, ad Thuani historias, VI, p. 147. Hagae, 1740.

(3) Epistolas Joanni Casimiro Languetus saepius mittebat. — Cf. *Briefe des Pfalzgrafen J. Casimir*, I, p. 142 et alias.

Ludovico de Wittgenstein, qui praefectus aulae palatinensis fuit (1), ac deinde in urbem suam *Berlebourg* se recepit (2), cum comite Hanaviensi, Philippo Ludovico (3), cum Arausionensi denique principe Languetus consuetudinem inivit; unus etiam e praecipuis Gulielmi consiliariis forsan evasisset, nisi immatura morte praereptus esset.

In illorum autem Regum vel Principum aulis multos et ministros et consiliarios novit, quos amicitia amplexus est. Sic Mordesium et Cracovium, quorum alter post alterum in Saxonica aula camerarii officio functus est, carissime dilexit; sic inter Caesareae aulae legatos, Lazarum Schuendium et Andream Dudicium praecipue coluit : cum Schuendio, quem primum Lutetiae anno 1561 noverat (4), adeo intima familiaritate junctus fuit, ut circa annum 1570 ab eo, fere septimo quoque die, epistolam acciperet (5); Andreae Dudicio, anno 1573, innotuerat (6), qui legatus Imperatoris in Polonia jam diu erat, quamvis se ad evangelicam fidem convertisset, atque ei epistolas, saltem usque ad annum 1577, constanter misit (7). In Joannis Casimiri aula, et theologum Zanchium, et ministrum Beutterichium, et burgravium Fabianum a Dohna amicos habuit, ac Dohna dicere solebat, se nunquam a Langueto discessisse, quin vel doctior, vel melior abiret (8). Apud principem Arausionensem cum Marnixio Santaldegondio, cum Lanoueo, cum Petro Villerio, viris aut armis aut prudentia et sapientia praestantissimis, arcta necessitudine conjunctus est.

(1) Cf. *Decades tres Epistolarum*. Ep. 2, prid. Kal. dec. 1574.

(2) *Ibid*. Ep. comitis ad Languetum, 23 sept. 1579.

(3) Cf. Bibl. Sanctae Genov. *Ep. haeretic.*, III. Ep. ad Philippum Ludovicum, 15 jan. et 9 febr. 1574.

(4) Ep. 9 ad J. Camerarium patrem. Lutetiae, 14 Kal. aug. (19 julii) 1563.

(5) *Ibid*. Ep. 49. Schuendius moderatissimo animo erat; anno 1570, tractatum composuerat, cum titulo : « *Von Regierung des Heiligen Roemischen Reichs* « *und Freistellung der Religion* ». — Cf. Janko : « *Lazarus, Freiherr von* « *Schwendi* ». Viennae, 1871.

(6) Cf. Ep. 60 ad J. Camerarium patrem, 21 sept. 1573.

(7) Dudicius se circa annum 1578 in Germaniam recepit; mortuus est anno 1589. — Cf. Niceron, *Op. cit.*, t. XVII.

(8) Cf. Vossius : « *Commentarium de gestis Fabiani a Dohna* », p. 48.

Languetus autem, cum Gallus esset, ut Galliae fatum ante omnia curae habebat, ita in Gallos sponte benevolentiam deferebat. Dum in patria saxonicus legatus vivebat, Achillem Harlaeum, parlamenti parisiensis praesidem (1), et cancellarium Hospitalem, et Amiralium a Coligny, quem maxima veneratione prosequebatur, novit et amare didicit; cum Arnoldo Ferrerio (2) Venetiis, et Carolo Danzaeo in Dania, legatis, epistolarum commercium habuit. Fabrum Pibracum (3), qui ad concilium Tridentinum missus fuerat, et deinde officium consiliarii regii exsecutus erat, Lutetiae vidit et magni fecit; quem eruditione et eloquentia tanta esse dicebat, ut vix in Gallia quemquam ei parem esse putaret (4). Quamvis Pibracus, post Sanbartholomaeanam caedem, vitam turpissime redimere non dubitasset, scripta epistola qua Huguenotorum stragem celebrabat (5), Languetus, qui ut Juvenal (6), summum nefas esse credebat.

.... animam praeferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas,

Pibracum nihilominus quodammodo excusare conatus est (7), et cum ad Poloniam iter faceret, Viennae optime excepit; Pibraci etiam versus interdum in epistolis citavit.

Inter Gallos in rebus publicis versatos, Languetus cum uno praesertim arctissimam inivit amicitiam, Mornaeo scilicet Plessiaco; quem viginti annos natum, Francofurti anno 1569 primum cognovit (8). Officia quam plurima Languetus ju-

(1) Harlaeus, anno 1569, Wechelum periculo mortis liberaverat. — Cf. Ep. 42 ad J. Camerarium patrem.

(2) Arnoldus Ferrerius, catholicus primo, se postea ad evangelicam fidem vertit; anno 1582 factus est cancellarius Navarreni Regis.

(3) Aut Pibracium (Gui du Faur de Pibrac, 1529-84).

(4) Cf. Ep. 34 et 39 ad Sidnaeum, 25 junii et 24 julii 1574.

(5) « *Ornatissimi cujusdam viri de rebus gallicis ad Stanislaum Elvidium* « *epistola* ». Parisiis, 1573, in-4°.

(6) Cf. Sat., VIII, ad vers. 83-84.

(7) Cf. Ep, 39 ad Sidnaeum. Viennae, 24 julii 1574.

(8) Marrius, *Op. cit.*, p. 149, — « *Mémoires de Madame de Mornay* », I, p. 27.

veni exhibuit et, inter caedem Sanbartholomaeanam, Lutetiae vias percurrere ausus est, ut Mornaeum, si posset, servaret (1); eum deinde Walsinghamo, Anglico ministro commendavit; denique ei Henrici Navarreni legato, apud Arausionensem principem et Reginam Angliae viventi, sive secreta negotia ageret, sive libros scriberet, consilia impertivit; sic ei anno 1579 suasit ut historiam temporis componeret (2). Cum in lecto moriens Languetus decumberet, petiit ut Plessiacus, in primo quem editurus esset libro, amicitiam mutuam commemoraret; cui quidem desiderio ille, in praefatione libri « *De veritate Religionis christianae* », latine editi, obsecutus est, simulque Langueto, quem parentis loco venerabatur, justas laudes tribuit (3).

Si a viris qui magnas in publicis rebus partes egerunt, ad eos nos convertimus, qui in theologia aut in quolibet scientiarum genere eminuerunt, Languetum inter illos tam multos numerasse amicos animadvertimus, ut eos omnes, ne nominare quidem possimus. Nempe cum claris theologis, Melanchthone, Calvino, Theodoro Beza, Petro Martyro epistolarum commercium inivit. Henricum Stephanum Lutetiae (4), Andream Wechelum Francofurti, Plantinum Antverpiae, id est tres e maximis sexti decimi saeculi typographis, amicos habuit; professores inclytos Lutetiae, Lambinum, Ramum, Turnebum novit; cum historico Thuano, cum jurisconsultis Balduino, Hotomanno, Donello Cujacioque, et cum herbario Clusio consuetudinem quamdam vel amicitiam contraxit. De illis omnibus longius disserere non operae pretium esse puto, at quosdam e medio sumere liceat, quos Languetus peculiari amore et studio prosecutus est, Philippum scilicet Melanchthonem, utrumque Joachimum Camerarium, denique Philippum Sidnaeum; de quibus si pauca

(1) « *Mémoires de Madame de Mornay* » I, p. 71-72.

(2) « *Mémoires et correspondance de Duplessis-Mornay* », II, p. 80-84. Ep. Mornaei ad Languetum. 15 nov. 1579.

(3) Cf. Editionem latinam hujus libri.

(4) Qui ei, anno 1578, Nizoliodidascalum dicavit.

dicam, Langueti vitae narrationem tantum perficiam:

Philippus Melanchthon (Schwarzerde), in Palatinatu anno 1497 natus, Lutheri doctrinam mature amplexus erat, et Wittebergae religionem novam simul atque eruditionis praecepta discipulis tradiderat. Universitati Wittebergensi et lutheranae ecclesiae post mortem Lutheri vere praefuerat, atque, scriptis, morumque integritate et fidei firmitate meritus erat, qui « Praeceptor Germaniae » appellaretur. Illum Languetus, ut supra dictum (1), lecto quodam ipsius theologico opere, videre voluit, et anno 1549 Wittebergam contendit; a quo tempore tali amicitia « domino Philippo » devinctus est, ut apud eum vivere decreverit (2). In reformatoris domo igitur usque ad hujus mortem plerumque habitavit, tanquam unus e propinquis aut natis esset. Quamvis tot et tantis laboribus occuparetur, Melanchthonem adjuvare non desiit, cum ille, invidia multorum lacessitus, perpetuas de doctrina controversias sustinere, colloquiis aut synodis adesse, hostium calumnias refutare cogeretur; Melanchthoni enim inter turbas tumultusque disceptationum semper vivendum fuit, nedum, ut cupiverat, « vitam in otio litterario degere inter sacra silentia φιλοσοφίας » posset (3). Langueti saltem familiaritas ei ingens levamen fuit : ambo similibus virtutibus, simili fere de omnibus rebus sententia, simili denique vivendi genere utebantur; docti Melanchthonis de religione sermones Languetum juvabant; reformatori autem gratissima erat multarum magnarumque rerum, quas Languetus tenebat, commemoratio, et oratio de Regibus principibusque, et aliis virtute aut doctrina praestantibus horum temporum viris (4). Cum Melanchthon anno 1560 mortuus est, vehementi Languetus dolore affectus est, ac postea haud se-

(1) Vide Caput I.

(2) Cf. Ep. 15 ad Camerarium patrem, p. 36.

(3) Cf. *Allgemeine Deutsche Biographie*, in verb. Melanchthon (dissertationem Wagenmanni).

(4) « *De Philippi Melanchthonis ortu, totius vitae curriculo et morte, narratio diligens* », a J. Camerario scripta. Lipsiae, 1566, in-8°, p. 341-42.

mel, annorum cum eo transactorum memor, scripsit se arbitrari reliquum vitae tempus plane periisse, si cum illo hoc conferret (1); imo, a Joachimo Camerario Melanchthonis vitam describente petiit, ut mutuae amicitiae mentionem faceret, quia id sibi apud omnes bonos gloriosum fore putabat (2).

Cum plerisque Melanchthonis amicis aut familiaribus Languetus consuetudinem inivit, inter quos, nisi timerem ne nimis fastidiosa oratio fieret, de Casparo Peucero et Joanne Cratone medico (3), longius dissererem. At de iis tantum verba facere decet, qui arctissima cum Langueto amicitia conjuncti fuerunt; inter illos autem Joachimus Camerarius (4), antiquis litteris eruditissimus et in Universitate Lipsiensi professor, eminet. Qui, anno 1500 Pabepergae natus, postquam Erfurti, Wittebergae et Tubingae publice legerat, et ad evangelicam doctrinam se verterat, anno 1541 Lipsiam vocatus fuerat, ut ruentem a culmine Universitatem in florentem statum restitueret. Lipsiae per tres et triginta annos graecas latinasque litteras docuit, atque ibi tantam consecutus est famam ut Casaubonus eum « nominis germanici decus singulare » appellaret. Illum anno 1549 aut 1550 Languetus novit, et mox tam familiariter eo usus est, ut sicut Wittebergae in Melanchthonis, sic Lipsiae in Camerarii domo gratus hospes viveret. Cum Camerarius quinque filios pluresque filias haberet, Languetus et patrem et natos pari studio dilexit. Unus e Camerarii nepotibus (5) nobis epistolas servavit, quas Languetus patri et filio natu maximo (6) scripsit, quae nos multa cum de rebus publicis, tum etiam de Came-

(1) Cf. *Arcana*. II, p. 58. 16 junii 1560. — Cf. Scholz, *Op. cit.*, App. I.

(2) Cf. Ep. 15 ad Camerarium patrem.

(3) De Cratone, cf. Gillet : « *Crato von Crafftheim und seine Freunde.* » Francofurti, 1860.

(4) Gens ejus olim nomine *Liebhard* designabatur, at postquam multi e majoribus *munus camerarii* Pabepergae exercuerant, gens tota *titulum* camerarii pro *nomine* accepit.

(5) Ludovicus Camerarius, natus 1572 (filius Joachimi II Camerarii).

(6) Qui paternum praenomen Joachimi acceperat.

rariorum vita docent : prima earum anno 1554, ultima anno 1579 data est (1). Ex eis accipimus J. Camerarium patrem versus fecisse, et quidem « elegantissimos » (2) ; inter filios, Ludovicum studendi causa Lutetiae apud Wechelum paulisper vixisse (3), Philippum contra in Italiam, invito Langueto (4), profectum esse, ubi Romae anno 1565 aliquandiu incarceratus mansit (5). Plura vero et de Joachimo patre, et de Joachimo filio epistolae Langueti referunt.

Joachimi patris amicitia gloriabatur (6), atque usque ad ejus mortem ei amicitiae testimonia dare non desiit : saepe ei libros e Gallia aut Francofurto mittebat, vel ad publica negotia, vel ad litteras aut scientiam pertinentes (7). Saepius etiam Camerarium invisebat, qui semper Lipsiae haerebat. Anno 1568 tamen Camerarius Viennam ab Imperatore Maximiliano vocatus est, ut in colloquio de omnibus christianis ecclesiis conciliandis ageret (8) ; quod quidem nullo modo profecit. Joachimus Lipsiam incolumis ex ista, difficiliori quam eum pro aetate decebat, peregrinatione reversus (9), Saxoniam jam non reliquit. Ei perpetuis de theologia controversiis fracto, mors conjugis quacum quinque et quadraginta annos conjunctissime vixerat, grave vulnus inflixit (10) ; ipse paulo post aetate gravis et adversa valetudine laborans, 17 aprilis 1574, diem obiit. Languetus autem virum, inter

(1) Epistolas Langueti tres et sexaginta patri, quadraginta filio scriptas habemus. Nulla Camerarii patris ad Languetum epistola exstat in « *Libris sex epistolarum familiarium Joachimi Camerarii Pabepergensis* » (1 vol. in-12. Francofurti, 1583).

(2) Cf. Ep. 13 ad J. Camerarium patrem.

(3) Cf. Ep. 14, 15, 20, 24, 31 ad J. Camerarium patrem.

(4) Qui eum in Galliam attrahere voluisset. Cf. Ep. 11 ad J. Camerarium patrem. 13 nov. 1563.

(5) *Ibid.*, Ep. 19. 14 Kal. sept. 1565.

(6) *Ibid.*, Ep. 15. 25 oct. 1564.

(7) *Ibid.*, Ep. 16 et 31.

(8) *Ibid.*, Ep. 38. Lipsiae, pridie Nonas oct. (6 oct.) 1568.

(9) *Ibid.* Ep. 39 Idib. febr. (13 febr.) 1569.

(10) Bibl. Sanctae Genovefae : *Ep. haeretic.*, III. Languetus ad A. Dudicium. Viennae, 11 oct. 1573. Languetus conjugem Camerarii laudat, quam Melanchthon omnium mulierum quas noverat prudentissimam judicabat.

amicos devotissimum, inter christianos piissimum, inter eruditos doctissimum magnopere deflevit (1).

Qualis cum patre, talis fere cum filio natu maximo Langueto consuetudo fuit. De Joachimo II Camerario paucissima habemus : circa annum 1530 natus (2), Wratislaviae sese studiis dederat, ubi a J. Cratone, artis medicae principia hauserat (3) ; deinde Norimbergae sibi domicilium constituerat, ut medicam artem exerceret. Ibi eum Languetus, anno 1554 primum, novit; ibi amicitiam arctam inter se fecerunt (4), quae longo usu confirmata est. Languetus Joachimi vitam et studia semper curae habuit; ei fortasse suasit ut magnam peregrinationem in Italiam susciperet, quae eum per triennium (1560-63) procul a patria retinuit (5), et de qua anno 1565 Languetus Norimbergae cum eo collocutus est (6); ei tum tabulas anatomicas, aereis typis expressas, Lutetia mittebat (7), tum eorum nomina exponebat, qui medicam artem in Gallia profitebantur, scilicet Baldichii Duretique Lutetiae, Rondeletii Montepessuli (8); interdum et versus Joachimo mittebat (9), dum hic contra, quae ad publicas res spectarent, ex. gr. anno 1578 pacis Dantisci factae conditiones, illi scribebat (10). Ultima Langueti ad illum epistola anno 1579 data est; Joachimum II autem Norimbergam postea reliquisse scimus, ut in Palatinatu superiore, Friderici IV Electoris valetudini curam impenderet (11). Ibi verisimiliter, inter honores, vitam perfecit.

Languetum juvabat juvenes, ingenii dotibus eminentes,

(1) Cf. Ep. 22 ad J. Camerarium filium. 14 julii 1574.

(2) Jam anno 1554 medicus erat.

(3) Cratonem ut parentem colebat. Cf. Ep. dedicatoriam, a filio Joachimi II, Ludovico, ante epistolas ad Camerarios editam.

(4) Cf. Ep. 1 ad Camerarium filium, 4 Nonas (4) martii 1554.

(5) Cf. Ep. 8 ad Camerarium patrem. Kal. febr. 1563.

(6) *Ibid.* Ep. 19, 14 Kal. sept. (19 aug.) 1565.

(7) *Ibid.* Ep. 16 Kal. april. 1565.

(8) Cf. Ep. 5 ad Camerarium filium, prid. Nonas (6) martii 1563.

(9) *Ibid.* Ep. 20, 26 oct. 1573.

(10) *Ibid.* Ep. 33 et 34, 3 et 26 febr. 1578.

(11) Cf. Ep. dedicatoriam supra citatam.

quasi dirigere et formare. Quemadmodum prima Morniaei Plessiaci et Joachimi II Camerarii studia cordi habuerat, sic quoque Philippum Sidnaeum adolescentem, vel in studiis vel inter aulicae vitae molestias, consiliis adjuvit.

Philippus Sidnaeus, Anglus, anno 1554 e nobili gente natus erat. Pater Henricus magna auctoritate in aula valebat, atque in Hibernia, *pro rege* ter designatus fuit; mater Maria soror erat comitum Warwicensis et Leicestriensis, quorum uterque, cum liberis careret, Philippum haeredem habebat; comes autem Leicestriae apud Elisabetham praecipue gratus erat, et a Regina etiam amabatur. Philippi Sidnaei amita Sussexiae comiti nupserat; matertera comitis Huntisonii (1) uxor erat, qui regiae domui affinitate quadam junctus erat (2). Ita Philippus Sidnaeus, nomine jam illustri ornatus, et immensas opes et splendidam fortunam in Anglia consecuturus erat.

Postquam in Oxoniensi Universitate studuerat, octodecim annos natus, Europam peragrare decreverat; Lutetiam igitur, anno 1572, contenderat, ubi Sanbartholomaeanam caedem tantum effugerat, quod in domo legati anglici habitabat. Paulo post, per Germaniam iter faciens, Francofurti initio anni 1573 apud Wechelum hospes constitit, ac tunc primum Langueto innotuit. Brevi inter se amare coeperunt; dum enim Sidnaeus Langueti scientiam et humanitatem mirabatur, hic ad adolescentem istum excellenti ingenio praestantem, rapiebatur, in quo major rerum peritia inerat, quam fere ejus aetas tulisset. Sidnaeum Languetus magnis fatis destinatum, ad vitae certamina parare et instruere constituit, sperans fortasse fore ut quando Angliam gubernaret, et evangelicae fidei causae officia praestaret.

Viennam verisimiliter Sidnaeus Languetum comitatus est, ubi aliquandiu cum eo in iisdem aedibus vixit (3). Inde Un-

(1) Comes ab Hunsdon, magnus camerarius postea factus.

(2) Bibl. Sanctae Genovefae. *Ep. haeretic.*, III. Ep. Langueti ad Andream Dudicium, 10 oct. 1574.

(3) Cf. *Arcana*, I, 2. Ep. 114. Francofurti, Die Resurrectionis Dominicae 1577.

gariae invisendae causa abiit, et postea in Italiam profectus est. Tunc inter Sidnaeum et Languetum, anno 1573, frequens epistolarum commercium incepit, cujus gratia tam multa et de Italis et de Europae rebus, et de amicitia mutua novimus (1). Languetus saepius scribebat, ac de silentio Sidnaei interdum conquerebatur, cum « pro unis litteris, quinas aut senas » mitteret (2); at Sidnaeus non impune Anglus erat, ita ut Langueti questus eum vix e silentio excitarent (3).

Dum Sidnaeus in Italia studebat, ac tum Patavii, tum Venetiis vivebat, ei Languetus Vienna saepissime scripsit; ei quaecumque aut legerat aut viderat, quaecumque animus variis modis affectus suggerebat, sine delectu exponebat (4). Studia ejus dirigere conabatur, Ciceronis epistolas legendas ei commendans, eumque hortans ut sacras litteras, moralem philosophiam et historiam plane disceret (5). Alias de diversis XVI saeculi scriptoribus disserebat, et quidem optime (6); alias et jocos emittebat, ut adolescentis animum relaxaret (7). Semper vero rarum amorem erga Sidnaeum exprimebat, eum de omnibus in Italia periculis admonens, dicensque se nihil eo carius habere (8).

Sidnaeus, autumno verisimiliter anni 1574 Viennam rediit, et postquam ibi aliquot dies mansit Languetum Pragam, quo hic Imperatorem sequebatur, comitatus est. Pragae Sidnaeus, in Angliam revocatus, amico valedixit, qui ei litteras

(1) Cf. « *Epistolas politicas et historicas, scriptas quondam ad illustrem et generosum Dominum, Philippum Sidnaeum, equitem Anglum...* » Lugduni Batavorum, 1646, 1 vol. in-16. — Cf. « *Correspondence of Sir Philipp Sidney « and Hubert Languet, now first collected and translated from the latin with « Notes and a memoir of Sidney* » a S. A. Pears editam. Londini, 1845, in-8°.

(2) Cf. Ep. 66 ad Sidnaeum. 2 maii 1578.

(3) *Ibid.* Ep. 47, 28 nov. 1575 : Languetus queritur de silentio 5 aut 6 mensium.

(4) *Ibid.* Ep. 4, 4 dec. 1573.

(5) *Ibid.* Ep. 8 et 11 (Kal. jan. et 22 jan. 1574). Cum Sidnaeus parum hilaris esset, Languetus eum hortabatur ne geometriae studeret quae eum tristiorem redderet.

(6) *Ibid.* Ep. 12, 28 jan. 1574.

(7) *Ibid.* Ep. 28, 13 maii 1574. In praenomina mutua jocatur.

(8) Cf. *Ibid.* Ep. 4 et 32.

commendatorias ad Saxoniae Electorem (1), et ad comitem a Wittgenstein (2) dedit; per Saxoniam itinere facto, ad Rhenum Sidnaeus profectus est, et in Angliam, mense maio 1575, reversus est; ubi quidem duos annos moratus est. Interea Languetus Sidnaei desiderium, conspectu effigiei sibi ab eo datae (3), et assiduis epistolis lenire conatus est. Ceterum eum denuo in Germania vidit.

Anno 1577 enim, Sidnaeus a Regina Elisabetha legatus ad aulam Caesaream missus est, ut novo Imperatori, Rodolpho, thronum acquisitum gratularetur. Illi Languetus, qui modo dimissionem ab Electore Augusto impetraverat, in isto itinere bis occurrit, scilicet cum Pragam iret et cum ex aula Imperatoris rediret (4). Heidelbergae aliquot dies constiterunt, et una Coloniam usque iter fecerunt (5). Tunc fortasse Sidnaeum Languetus hortatus est ut munus quoddam apud Electorem palatinum aut Joannem Casimirum exercendum acciperet; quod propositum Sidnaeus abnuit (6). Paulo post, legatione apud Arausionensem principem functus (7), Sidnaeus in Angliam rursus transiit, ubi maximo favore usurus erat.

Jam ante duos annos ab avunculo, comite Leicestriae, in aulam introductus fuerat, et ad Reginam in arce Kenilworth a comite splendidissime exceptam accedere potuerat. Anno 1578, cum Elisabetha apud eumdem comitem, in *Wanstead House* (8) constitisset, Sidnaeus fabulam (*The lady of the May*) composuit, et coram ea agendam curavit. Brevi Regina eum ita magni fecit ut aulam, eo absente, vacuam esse existima-

(1) *Arcana*, I, 2. Kal. mart. 1575.

(2) *Decades tres Epistolarum*... Ep. 3, 12 martii 1575. Sidnaeus comitem non vidit. Cf. Ep. 4 *ibid.*

(3) Cf. Ep. 43 ad Sidnaeum, 6 junii 1575.

(4) *Arcana*, I, 2, p. 288-91, et p. 291-95 (die Resurrectionis Dominicae 1577 et 8 junii 1577).

(5) *Ibid.* Cf. Ep. 30 ad Joachinum II Camerarium, 17 julii 1577.

(6) Cf. Ep. 55-57 ad Sidnaeum, 17 julii-23 sept. 1577.

(7) Ep. 30 ad Camerarium filium.

(8) In comitatu *Essex*.

ret (1), et eum inter Europae optimates ornatissimum esse diceret (2). Sidnaeus ceterum ab omnibus laudabatur, quicumque eum noverant, ac Gulielmus Arausionensis eum pro maximo regiorum tunc in Europa consiliariorum habebat (3). Quamvis tanta in Anglica aula auctoritate frueretur, Sidnaeus taedium istius vitae aegre ferebat, in qua sine intermissione invidia lacessebatur; eum Languetus haud semel hortatus est ut illa incommoda aequo animo pateretur, et operam patriae requirenti non denegaret (4); ei simul suadebat ut uxorem duceret; sed Sidnaeus qui Penelopem Devereux ardenti amore prosequens, in versibus sub nomine Stellae aut Philocleae celebrabat, consilio illi tunc temporis obsequi non potuit.

Anno 1579, Sidnaeum Languetus in Anglia invisit, atque aliquot dies una in dulcibus colloquiis consumpserunt; sed ultimum jam inter se coram colloquebantur, et cum Sidnaeum reliquit, Languetus ei lacrimans valedixit. Frustra eum in Belgium, annis 1580-81, attrahere (5) conatus est, ut principi Arausionensi adversus Hispanos succurreret; tantum post Langueti mortem Sidnaeus cum comite Leicestriae mare transiit, et prope urbem Zutphaniam, strenue pugnans, periit (6). Vitam Sidnaeus optime actam generose finivit : cum vulneratus e praelio auferretur, et aquam bibendam poposcisset, militem pene morientem vidit, qui potum avidis oculis aspiciebat, atque ei vas de-

(1) Cf. Arber : « *An apology for Poetry* », by sir Philipp Sidney. Birmingham, 1868, in-12. Cf. Sir Robert Naunton : « *Fragmenta regalia or observations on « the late Queen Elisabeth, her times and favourites* » (1641). De Sidnaeo hoc ait : « So highly prized in the good opinion of the Queen, that she thought the « Court deficient without him ».

(2) « Je l'estime le plus accompli gentilhomme de l'Europe ». Bibl. Sanctae Genovefae. *Ep. haeretic.*, III, Languetus ad Wackerum, 13 junii 1579.

(3) Cf. « *Life of the renowned sir Philipp Sidney* », by Fulke Grevil. Londini, 1652, p. 31.

(4) Cf. Ep. 70 ad Sidnaeum, 22 oct. 1578.

(5) *Ibid.* Ep. 81. 14 nov. 1579.

(6) Thuanus, *Op. cit.*, III, p, 125 (in-folio. Genevae 1620).

ferri jussit, quia huic magis quam sibi illo opus esset (1).

Languetus non modo Philippum Sidnaeum, sed etiam totam Sidnaeorum gentem pari amore et admiratione prosecutus erat. Patrem Philippi ut virum virtute et rei militaris scientia excellentem veneratus erat; fratrem Philippi, Robertum, in Germaniam, anno 1579, abduxerat, eique bonum praeceptorem elegerat (2). Gentem anglicam omnium felicissimam esse judicabat, eamdem vero Sidnaeis « nihil melius aut humanius » habere (3).

Ii praecipui Langueti amici fuerunt; permultos sane alios silentio praetermittere coactus fui, sed satis superque de quibusdam me dixisse puto, neque quidquam esse addendum, ut Languetum inclytissimos sexti decimi saeculi viros novisse pateat. In epistola quadam ad Joachimum II Camerarium, dixit se nihil magis a prima adolescentia cupivisse, quam ut multorum praestantium virorum notitiam haberet (4). Nunc fatendum est fortunam illi voto mirum in modum indulsisse.

(1) Collins : « *Memoirs of the Sidneys* », p. 105.

(2) Bibl. Sanctae Genovefae. *Ep. haeretic.*, III et V. Ep. ineditae Langueti ad Wackerum (13 junii 1579) et ad M. Linghelshemium (5 martii 1580, et 28 jan. 1581).

(3) *Ibid.*, III. Ep. ad Wackerum.

(4) Cf. Ep. 3 ad Camerarium filium. 11 Kal. april. 1560.

CAPUT VI

CONCLUSIO.

Postquam Langueti vitam ab initio ad finem secuti sumus, postquam eum Pictavii aut Patavii studentem, longinqua per totam fere Europam itinera suscipientem, apud praecipuas aulas legati munere fungentem, summaque semper cum clarissimis viris familiaritate conjunctum vidimus, indolem ejus describere, et de eo judicium ferre facilius esse videbitur. Jam e vitae narratione apparet eum nunquam in otio quievisse, dignum vero se praestitisse qui ne tantillum quidem temporis sibi perire passus esse diceretur (1).

Simplex Languetus et sine ulla ostentatione vir erat; modestiae plenus, nunquam scientia aut eruditione, nunquam immodico sumptu, alios obruere conatus est. Illum Melanchthon in epistola quadam ut virum justum, moderatum, et vere francum, id est ingenuum, alienum a dissimulatione depinxit (2). Quemadmodum insigni probitate in omnibus eminuit, ita se rigidum veritatis cultorem semper praebuit. Blanditiis uti non poterat, atque anno 1579, Sidnaeo scribebat sibi propterea fugiendas esse principum aulas (3);

(1) Marrius, *Op. cit.*, p. 136.

(2) Cf. Ep. Melanchthonis ad Antonium Borbonienscm, 1 aprilis 1560, a Read in « *Bulletin de la Société de l'histoire du protestantisme français* », editam, IX, p. 125-26.

(3) Cf. Ep. 73 ad Sidnaeum, 11 martii 1579.

npe quid sentiret celare aut dissimulare fere nefas esse edebat (1).

Sibi parcissimum laudatorem et judicem austerum, aliis cilem et veniae dandae promptum se praestitit. Cum ex. gr. idnaeus in Pibracum vehementer inveheretur, quod San-bartholomaeanam caedem scripto approbasset, Languetus illum severiorem esse judicavit : « Ego non sum stoicus », inquit, « nec credo aequalia esse peccata », et haec verba addidit, quae adhuc nobis nimis vera videntur : « Hoc est « vitium nostrae gentis, ut si praestans aliquis vir erret, vel « in re levissima, eum statim numero sceleratissimorum ho-« minum ascribat. Ego et natura et vitae instituto sum ab « ejusmodi judiciis alienus... » (2). Pibraci libellum probare nullo modo Languetus in animo habuit, cum tali ignaviae mortem anteponeret, sed hominum vitia et imbecillitatem expertus, eos quales sunt pati necesse esse censebat.

Egregia illa humanitas, praesertim ex omnium rerum scientia emanabat; multa studendo, multa peregrinando di-dicerat, atque omnia, ne exceptis quidem Persarum et Tur-carum bellis, noscere cupiebat. Mira memoria praeditus, quidquid semel legerat, vel viderat, tenebat, ac dilucide ex-ponere poterat; non ille in hominum nominibus falli, non indiciis temporum errare, non confundere rerum negotio-rumque seriem (3). De omnibus, cum de eruditione et doc-trina, tum de publicis rebus, dextrum et peracre judicium exercebat (4). Saepius ad Camerarios aut ad Sidnaeum de gallicis, germanicis vel anglicis auctoribus scripsit, quos dili-gentissime legebat : sic monachum anglicum, Mathaeum Pa-ris (5), saepe numero ineptum fuisse, attamen (6) quaedam in-terdum lectu digna retulisse dixit; sic stultam germanicorum

(1) Cf. Ep. 2 ad Fabianum a Dohna. *Loc. cit.*, p. 272. Kal. febr. 1578.
(2) Cf. Ep. 39 ad Sidnaeum. 21 julii 1574.
(3) Cf. « *Melanchthonis vitam* », p. 842.
(4) Thuanus. *Op. cit.*, I, II, p. 18 (Ed. 1620).
(5) Chronographum (1197-1250).
(6) Cf. Ep. 18 ad Sidnaeum. Die aequinoctii 1574.

XVI saeculi historicorum superbiam optime depinxit, qui caeco patriae amore instincti, Germaniam unice heroas et magnos viros peperisse asserebant (1). Nostradami simul prognostica, quibus quotannis omnis generis mutationes aut bella nuntiabantur, « nugas nugacissimas » habebat (2). Pari prudentia de populorum natura, bellorum successu, aut statuum fato judicabat; sic Sidnaeum hortatus est ut Italis diffideret, apud quos dissimulatio laudi maximae esset (3); sic bellum inter Danos et Suecos « majoribus odiis quam vi- « ribus » fieri ostendit (4); sic gallicas res ad totum orbem pertinere intellexit (5); sic grandia Moschorum fata praevidit, atque Ivani victoriis auditis, haec scripsit : « Si ullus princi- « patus in Europa crescere debet, ille erit » (6). Futurorum provisione et quasi divinatione, Languetus certe admirabilis fuit (7); quin etiam, quidam ei vaticinia adscribere voluerunt (8).

Integerrimis Languetus moribus semper fuit, ac per aulas vagans, nihil usquam labis contraxit (9). Nulla in eo auri fames erat, eumque vidimus, stipendio ab Electore Saxoniae vix dato, propriam saepe pecuniam pro patriae aut religionis salute impendentem. In caelibe vita, et corpore et animo castus remansit, de mulieribus etiam, sicut plerique austeri hujus aetatis protestantes, severius judicans. Dominus scilicet Melanchthon, cum olim coram ipso Regina Angliae valde laudaretur; « Ne ita properetis, inquit, in ferendo de ea ju- « dicio; mulier enim nihil aliud est quam mulier» (10); Lan-

(1) Cf. Ep. 12 ad Sidnaeum. 28 jan. 1574.
(2) Cf. *Arcana*, II. Ep. 109 ad Mordesium. 22 martii 1565.
(3) Cf. Ep. 33 ad Sidnaeum. 18 junii 1574.
(4) Bibl. Sanctae Genovefae. *Ep. haeretic.*, II. Ep. ad Bezam. 24 martii 1570.
(5) *Arcana*, I, I. Ep. 8. 22 oct. 1567.
(6) Bibl. Sanctae Genovefae. *Ep. haeretic.*, II. Ep. ad Calvinum. 7 Kal. sept. 1558.
(7) Cf. « *Melanchthonis vitam* », p. 342.
(8) Cf. Ep. dedicator., ante epistolas ad Camerarios.
(9) Marrius, *Op. cit.*, p. 142.
(10) *Arcana*, II. Ep. ad Mordesium. 6 julii 1560.

guetum quoque eodem modo locuturum fuisse suspicor, quippe qui nunquam uxorem ducere voluerit, quod nuptias perpetuum studiorum impedimentum aestimaret (1).

Ante omnia pius et evangelicae fidei devotissimus fuit; in omnibus jam scriptis et fere in omnibus rebus gestis animadvertere potuimus, quo studio eos qui « puriorem » religionem profiterentur, prosecutus sit, quo ardore protestantium causam sustinuerit. Quae pietas ei saepius judicium veri sustulit : inexpiabili odio romanum pontificem et « pontificios » insectatus est, ac, sicut Lutherus, Romam alteram Babylonem esse asseveravit; eo etiam progredi non dubitavit, ut scelera ipsa pro evangelicae fidei salute perpetrata excusaret, Guisii scilicet caedem approbaret, et Poltrotum pro praeclaro facinore laudibus efferret (2). Quod si nimio in religionem studio incensus, aliquando modum excessit, Languetus tamen moderato potissimum animo usus est; omnes de dogmatibus dissensiones restinguere cupivisset, eumque et evangelici et catholici propter animi aequitatem et integritatem aeque venerati sunt, quod quidem manifesto comprobavit de marchionatu Rothelini negotium, ipsi arbitro commissum (3). Bellis civilibus et tristi patriae statu afflictus saepe conquestus est quod « ingenti miseriarum pelago » (4) circumdaretur, et morte appropinquanti laetatus est, quod in eo esset ut mundum istum relinqueret, ubi omnia semper in pejus ruerent.

Quae in Langueti indole, eadem in ipsius scriptis reperimus, quae quidem non penitus perspicere, sed cursim recensere oportet, ut, quid Languetus praestiterit, omnino percipiamus. Epistolae ad amicos et ad Electorem Saxoniae, Augustum, praecipua sunt operum pars; e quibus et scriptorem, et philosophum et historicum dignoscere licet, et se-

(1) Marrius, *Op. cit*, p. 138.

(2) *Arcana*, II, p. 239. Ad Mordesium. Lipsiae, 26 april. 1563.

(3) Cf. Cap. II, p. 57.

(4) Bibl. Sanctae Genov. — *Ep. haeret.*, III. Languetus ad Nicolaum Redingerum. Antverpiae, 26 apr. 1580.

cretos animi affectus detegere. Cum ad Sidnaeum aut ad Camerarios scribit, verae amicitiae impetum patefacit; in epistolis vero ad Mordesium aut ad Electorem Augustum, ante omnia, rerum publicarum peritum virum se praebet.

Historias bis tantum composuit, et quidem accuratissime, scilicet cum urbis Gothae obsidionem aut Germanici Imperii statum exposuit. Plura autem de religione aut de rebus publicis scripsit : sic anno 1560 longum « de synodo » discursum Mordesio misit, in quo de concilio generali Tridentino disserebat (1); sic anno 1570 orationem confecit, ut ad pacem et religionis libertatem instaurandas, nomine multorum Germaniae principum, Carolum nonum hortaretur (2); sic, anno 1573, epistolam « *de electione polonica* » edidit (3), ut Polonos moneret ne Henricum, ducem Andegavensem, regem eligerent. Duo etiam alia ejusdem generis scripta Langueto falso adscripta sunt : libellus scilicet « *De furoribus gallicis* », cujus auctor Hotomannus (4), et principis Arausionensis « *Apologia* », a Petro Villerio composita (5).

Veniamus tandem ad opus quo Langueti nomen praesertim inclaruit, fortasse immerito, et quod ei plerumque maximae laudi esse videtur, nempe ad « *Vindicias contra tyrannos* », quae sine vero auctoris nomine, anno 1579 aut 1580, in vulgus editae sunt (6). Quod quidem scriptum ad philosophiam potius quam ad historiam pertinet, cum Machiavelli doctrinas oppugnet, et demonstret Reges a Deo electos, a populo tantum constitui, neque ullum alium impe-

(1) *Arcana*, II, p. 71-78.
(2) Vide supra cap. II, p. 59.
(3) Cf. Ep. 8 ad Sidnaeum. Kal. jan. 1574.
(4) Cf. Dareste, *Op. cit.*
(5) Vide supra cap. IV. Inter multa argumenta, hoc praesertim non negligendum videtur, scilicet Grotium in *Annalibus belgicis*, III, dixisse : « Adversus novi « moris edictum, Arausionensis apud ordines belgicos et christianos principes « libello se defendit, adjuvante Petro Villerio... »
(6) « *Vindiciae contra tyrannos, sive de principis in populum populique in « principem legitima potestate, Stephano Junio Bruto Celta, auctore* », in-12. Edimburgi, 1579.

rio finem, nisi populi utilitatem esse (1). Christianae religionis praeceptis nixus, « *Vindiciarum* » auctor, mutua principis populique jura et officia describit, subditorum libertatem affirmans, nullis tamen adhibitis in plebem blanditiis : imperiti vulgi favorem nullo modo quaerit, ac sub populi nomine « *aristocratiam* » quamdam inducit, imo maxima Reges observantia colit, ac tyrannis tantummodo irascitur.

Haec de « *Vindiciarum* » argumento. Quis autem sub pseudonymo Stephani Junii Bruti lateret, a XVI saeculo saepe inquisiverunt historici, et adhuc sub judice lis est. Plerique tamen Hubertum Languetum « *Vindiciarum* » auctorem esse asseruerunt, Baylii praesertim auctoritate freti, qui in ampla dissertatione (2), Huberto Langueto « *Vindicias* » attribuere visus est. De Baylii dissertatione longius verba facere non operae pretium esse puto : scilicet adversus Grotii opinionem qui Mornaeum Plessiacum auctorem esse affirmat (3), Baylius duo praecipua affert argumenta, quemdam nempe apud Agrippam Aubinium locum, in secunda « *Historiae Universalis* » editione (4), ac pauca excerpta ex oratione funebri Theod. Tronchini (5), theologi Genevensis, in obitum Simonis Goularti habita : Goulartum enim ab Huberto Langueto « *Vindicias* » scriptas esse certo scivisse (6). Postquam au-

(1) *Vindiciae*, p. 108.

(2) « *Dictionnaire historique et critique* ». Roterodami, 1720, in-fol., IV, p. 2939-2947. — Cf Chevreul, *Op. cit.*, p. 173 ssq.

(3) Cf. Grotii « *Opera omnia* », 5 vol. in-fol. — Amstelod, 1679, t. V. « *Epistolae quotquot reperiri potuerunt* » — IIa Parte. Ep. 641, p. 949 : « Puto scrip- « sisse me antehac auctorem Junii Brutii esse *Philippum Mornaeum Plessia-* « *cum*, editorem Ludovicum Villerium, Loiselerium. *Repeto id*, quia ignotum « esse scriptorem dicit Maresius, *cum plurimis ea res nota sit* ».

(4) Amstelod, 1626, 1 vol. in-fol., t. I, lib. 2, cap. XVII, p. 124, et praecipue, t. II, lib. 2, cap. III, p. 670. In prima autem editione, Aubinius Mornaeum ut auctorem designaverat. Ed° 1616, 2 vol. in-fol. Vol. I, t. II, lib. 2, cap. II, p. 108.

(5) Theodorus Tronchinus (1582-1657), theologiae pastor Genevae fuit. — Simo Goulartus (1543-1628) theologus et pastor evangelicus fuit.

(6) Cf. Gisberti Voetii : « *Selectarum disputationum theologicarum* » quartam partem, in-4°. Amstelod, 1667, p. 232.

tem Baylius omnia ista exposuit, dubiam tamen esse controversiam fatetur (1). Non igitur Baylii auctoritatem adhibere licet, ut Hubertus Languetus « *Vindiciarum* » auctor declaretur.

Remotis omnibus aliis quibus « *Vindiciae* » falso adscribi potuerunt (Theodoro scilicet Beza, Francisco Hotomanno (2), Buchanano etc.) duo tantum scriptores nominantur, Languetus et Mornaeus Plessiacus, quorum uter auctor sit certo dicere difficillimum est. Nova ante nonnullos annos doctor quidam hollandicus, Antonius Thieme, attulit argumenta, ut « *Vindicias* » a Mornaeo Plessiaco compositas esse probaret (3). Omnes ejus temporis scriptorum locos, qui ad illos pertinent, collegit, ac, quod magni momenti est, testimonium pro Langueto a Goularto datum inane esse ostendit (4). Itaque, quamvis Agrippa Aubinius, Philibertus Marrius (5), et plerique recentiores auctores « *Vindicias* » scriptas esse a Langueto dicant, huic sententiae assentiendum non censeo, praesertim cum Grotius, vir saeculi XVI litteris eruditissimus pro Mornaeo Plessiaco causam agat, Mornaeique uxor, Charlotta Arbaleste de la Borde, haec verba expresse scripserit : « Ils feurent, M. de Buhy et M. Duplessis, à « Jametz, jusques à la mort du roy Charles, qui feut au

(1) *Loc. cit.*, p. 2945. « Mr Voet ne s'est pas assez fié au temoignage de Si- « mon Goulart, pour trouver étrange qu'on veuille demeurer encore dans le pyr- « rhonisme à l'égard de Junius Brutus ; *et j'avoue pour moi que j'y aperçois « encore des difficultez et des embarras*, quelque fortement qu'il semble que je « me sois déclaré pour Hubert Languet ».

(2) D'Hozier, *loc. cit.*, p. 73 Hotomannum auctorem esse asserit.

(3) *Disputatio juridica inauguralis de opusculo « Vindiciae contra « tyrannos*, etc., » *inscripta* ». Groningae, 1852, in-8°.

(4) Secundum Tronchini orationem, Mornaeus Plessiacus « *Vindiciarum* » manuscriptum, post Langueti obitum, tantum accepisset, et Guarino typographo excudendum tradidisset ; at opusculum ante mortem Langueti typis mandatum fuisse constat : cujus id optimum argumentum, quod versio libri gallica jam anno 1581 prodiit. (Cf. Du Verdier : « *Bibliotheque française* » in-fol. 1585, p. 300). Parum verisimile est principem editionem et gallicam versionem per tres ultimos menses anni 1581, typis excussas esse. Cf. Thieme, *Op. cit.*, p. 16-19.

(5) *Op. cit.*, p. 124-25.

« moys de may ensuivant (1574), et passoit son temps « M. Duplessis à faire quelques escritz, entre autres, *il fit « en latin un livre intitulé : « De la puissance légitime d'un « prince sur son peuple »*, *lequel a esté depuis imprimé et « mis en lumière, sans touteffois que beaucoup en ayent seu « l'autheur »* (1) Quae prudentis illius mulieris assertio multum pretii habet; Mornaei enim uxor, mariti et Langueti amicitiam occultosque sensus, si quos alter alteri aperuisset, optime noverat, quippe quae Langueto morienti assideret, et ultima ab illo ad amicum mandata acceperit.

Nihil sane in Mornaei scriptis at non amplius in Langueti operibus de illa re reperitur. Quid quod « *Vindiciarum* » materia ea est, quae ab utroque tractari potuerit : ambo enim jus rebellandi adversus tyrannos defenderunt; ambo Huguenotos plane laudaverunt, quod auxilia a germanicis principibus petere non dubitarent. Minime igitur ea res expedita est, quanquam equidem Mornaeo potius quam Langueto librum attribuendum esse censeo; cui rei Mornaei uxoris verba praecipue fidem faciunt. Argumentum autem e similitudine ductum, quam quidam in Vindiciarum et in Epistolarum Langueti stilo animadverterunt (2), plane negligendum esse credo, cum illud parum firmum sit, cumque omnino istiusmodi argumentis diffidendum esse putem.

Quidquid id est, etiamsi, ut mihi videtur, Mornaeus Plessiacus « *Vindiciarum* » auctor declarandus sit, Langueti nomen dignissimum est, quod inter maxima sexti decimi saeculi numeretur. In negotiis procurandis acer, et in epistolis scribendis diligens, Hubertus Languetus eruditione et scientia cum doctissimis hujus aetatis viris, integritate et magnitudine animi cum optimis conferri potest. De eo amici hunc versum dictitabant :

« Optimus Hubertus melior quo nemo repertus »,

ac Melanchthon, eum Sebastiano ab Albaspina commendans,

(1) « *Mémoires de Madame de Mornay* » I, p. 81 (editione 1824, aut 1868-69).
(2) Cf. Papillon. « *Bibliothèque des auteurs de Bourgogne* », p. 372-73.

talem esse asserebat, quales in veteri versu describuntur viri boni : « ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν » (1).

In Langueto hoc tantum vituperandum reperimus, quod suos parvi fecit, quippe qui Sidnaeo scriberet, se habere fratrem unicum, cui nunquam responderet (2). Patriam vero qui dixerunt eum parum dilexisse, eos falsum intendisse crimen arbitror, cum saepius Galliae amorem in epistolis Languetus prae se tulerit, ac sibi multo gratius fore dixerit se in Galliae cineribus sepeliri, si interiret, quam ei superesse (3). Ceterum et virtutibus, et indole, et recto judicio, vere Gallus Languetus nobis videtur. Infelicia nimium tempora in quibus tot docti et generosi homines, propter religionum *intolerantiam*, si hoc verbum usurpare licet, procul a patria errare coacti fuerint ! Hubertus Languetus inter illos eminuit, ac Ludovicus XIV ipse, qui protestantes tanta saevitia persecutus est, eum ut Gallum vindicare non dubitavit (4), quippe quem et genti Languetorum et patriae ipsi ornamento et decori fuisse existimaret !

(1) *Corp. Reform.*, VIII, 827.

(2) Cf. Ep. 87 ad Sidnaeum. 12 martii 1580.

(3) *Arcana*, II, p, 227-29. — Cf. Scholz, *Op. cit.*, app. I. Ep. Langueti ad Electorem (1567).

(4) Cf. Diploma anno 1706 a Ludovico XIV uni e Langueti posteris datum, apud d'Hozier, *Op. cit.*, II, p. 86-89. Ubi de Langueto de Gergy verba faciens, Rex eum ita laudat : « Il a cru qu'il ne pouvoit mieux faire que de suivre les « traces de *Hubert Languet*, l'un de ses ancêtres, qui, dans le milieu du « XVI[e] siècle, se rendit très célèbre dans la connoissance des affaires politiques, « ayant mérité d'être deux fois envoyé extraordinaire d'Auguste, Electeur de « Saxe, au Roi Charles IX, ensuite plénipotentiaire de ce même Electeur à la « paix de Stettin, et enfin ministre d'état du même prince » (p. 87). — Chevreul (*Op. cit.*, p. 171) hunc locum parum accurate citavit.

APPENDICES

APPENDIX I

BIBLIOTHÈQUE NATIONALE, FONDS FRANÇAIS 2756
P. 218-222

Lettre de Monsieur Languet à Monsieur de Tou, touchant les Estats d'Allemagne.

Les Estats de l'Empire sont l'Empereur, les Electeurs, les Princes tant Ecclésiastiques que Séculiers, les Prélats, Comtes et Barons et les Villes Impériales.

La Noblesse ne faict point d'Estat particulier en l'Empire, combien qu'il y ait quelques gentilshommes qui ne recognoissent que l'Empereur comme Empereur : mais cependant il n'y a point d'Estat en l'Empire plus riche, plus puissant, ny plus à son Ayse.

Nos malheureuses guerres de France, celles de Hongrie, de Dannemarck, et des Païs Bas l'ont den ces temps grandement enrichi.

Elle ruine par ses usures la pluspart des autres Estats.

Les Journées (1) Impériales sont comme les Assemblées des Estats en France, et sont de telle auctorité que ce qui est ordonné, *habet vim legis,* et oblige tout l'Empire. Anciennement les Électeurs voians que les Affaires de l'Empire requeroient

(1) Dies (Tag) id est Comitia Imperii.

qu'il s'en tinst une, en advertissoient l'Empereur et le prioient d'en assembler une. Mais que depuis que les Empereurs ont trouvé moyen de faire leur proufflct des dictes Journées et s'y faire donner de l'argent, ils ne sont que trop prests d'en tenir et en tiendroient plus souvent qu'ils ne font si les Électeurs y vouloient consentir.

Quand les Empereurs commencèrent à y demander de l'argent, les Électeurs et autres Princes ne s'y opposerent pas grandement parce qu'on leur monstra le moyen de faire leur Proufflct de telles contributions, c'est ascavoir de lever sur leurs subjects, soubs ombre de telle contribution, trois ou quatre fois autant qu'ils donnoient à l'Empereur; car il faut noter qu'a cette heure-là, ils ne prenoient pas l'autorité qu'ils prennent à présent de demander de l'argent à leurs subjects quand bon leur semble.

La Jornée ne se peut tenir qu'en une Ville Impériale, laquelle estant accordée, elle se publie en ladicte Ville six sepmaines pour le moins avant qu'elle se tienne. Cela faict, les Mareschaux et Fourriers de l'Empereur y viennent et divisent la ville comme en deux parties, l'une desquelles ils divisent par quartiers qu'ils attribuent aux Électeurs, Princes et autres Estats de l'Empire. L'autre moictié est pour l'Empereur et pour sa suitte et pour les estrangers survenans qui ont quelques affaires à la Journée.

Le jour estant venu auquel se doibt commencer la Journée, l'Empereur assemble en quelque grande salle les Estats présens et les Deputés des Absens, et leur faict entendre les causes qui l'ont meu, et la nécessité qui l'a contrainct de les assembler.

Puis faict proposer par son Chancelier les Articles sur lesquels on doibt délibérer en la dicte Journée.

Cela s'appelle la Proposition qui se baille aux Estats qui en prennent chacun une coppie.

La Proposition faicte, la Journée est commencée.

Or, il faut entendre que les Électeurs ont leur Sénat à part, et les Princes aussy le leur à part, auquel toutesfois entrent les Prélats, Comtes et Barons.

Mais chacun Prince a aux délibérations sa voix, et les Prélats tous ensemble n'y en ont que deux, et autant les Comtes et Barons.

Les Villes Impériales ont aussy leur Sénat à part. Mais elles n'ont point de voix délibératives : ains seulement quand elles entendent ce qui a esté résolu au Sénat des Électeurs et les (des) Princes, s'il y a quelque chose qui ne leur plaise pas, elles le remonstrent et disent ce qu'il leur semble, et souvent après les avoir eu et ouies, la chose est remise en délibération.

Quand les Électeurs et les Princes ont faict chacun en leur Sénat quelque résolution sur l'article mis en délibération, ils confèrent ensemble et advisent s'ils se peuvent accorder.

S'ils s'accordent, ils monstrent leur Résolution aux Villes Impériales comme il a esté dict.

Enfin estans tous d'accord, ils couchent leur Résolution par escript et la portent à l'Empereur, auquel si elle ne plaist pas, il leur remonstre ce qu'il y deffaut et les prie de regarder de plus près ; si elle lui plaist, il la retient et leur commande de procéder aux autres articles.

Après que la Diette est bien advancée, on choisit un Sénat de Députés pour ouïr les griefs et doléances des particuliers.

En ce Sénat, chacun des Électeurs a un député.

Les Princes et autres Estats en y ont aussy quelque nombre.

Ceux cy jugent sur les Requestes qui leur sont proposées : mais bien souvent leurs Jugemens sont refformés par l'Empereur.

Parce que les Journées Impériales depuis quelque temps vont tellement en langueur, qu'elles durent quelquefois cinq ou six mois,

Peu de Princes s'y trouvent communément à cause de la grande despense qu'il faudroit qu'ils fissent : et outre cela, il pourroit survenir quelques troubles en leur Païs, s'ils en estoient si longtemps absens : par quoy ils envoient en leur lieu leurs députés.

Si leur Païs est voisin du lieu où se tient la Journée, ils y vont quelquefois pour visiter l'Empereur et y demeurent quelques jours.

Quand l'Empereur a impétré ce qu'il désire quand à la contribution pour ses affaires de Hongrie, qui est tousjours l'article qui se débat le plus chaudement, il faict mettre fin à la Journée le plus tost qu'il peut, et faict remettre ce qui est encore à délibérer à la prochaine Journée Impériale, ou à une

Journée de députés, qui est communément assignée en l'année suivante.

Cela faict, il met par ordre et par article ce qui a esté résolu par les Estats, ce qui ne se faict pas sans bien souvent y changer, diminuer ou adjouster quelque chose : mais toutesfois modestement de peur d'irriter lesdicts Estats, lesquels il faict puis après assembler, et leur faict lire cette Résolution générale, laquelle ils appellent en leur langue (Abscheidt), qu'ils tiennent en latin *Recessus*, qui en tout l'Empire *vim legis obtinet.*

Ce qu'estant faict, la Journée est finie, et il se retire qui veut.

A la Journée des Députés à laquelle on renvoie ce qui ne s'est peu décider à l'Inpériale, sont les Commissaires de l'Empereur, les Députés des Electeurs, deux députés des Princes Ecclésiastiques et autant de Seculiers, un des Prélats, un des Comtes et Barons, deux des Villes Impériales.

Ce qui est décidé en telle Journée est de mesme autorité que s'il estoit décidé à Journée Impériale : mais il ne s'y décide rien que ce qui y est renvoié de la Journée Impériale, ou donné par commission.

Il y a la Chambre Impériale de Spire qui est comme la Cour de Parlement de l'Empire, qui ne cognoist point des causes criminelles, car chacun Estat de l'Empire juge en icelles sans appel; mesme les villes et les gentilshommes qui sont soubs les Princes ont la pluspart privilège de juger en cause criminelle sans appel.

Il y a beaucoup d'Estats dans l'Empire qui sont exempts de la dicte chambre, et jugent en leurs Païs toutes causes en dernier ressort.

Il y en a d'autres qui ont privilèges qu'on ne peut appeller de la sentence par eux donnée, si la chose de quoy on plaide ne vaut plus de dix ou douze mil florins, et, outre cela, quiconque appelle de la sentence de l'Estat soub lequel il vit, il est tousjours mal veu et bien souvent aussy mal traicté.

Mais le pis est que l'exécution de la Sentence donnée en la Chambre Impériale est fort difficile quand la Partie condamnée est puissante et advient bien souvent que la sentence donnée en faveur du plus foible est cause de sa ruine.

Il est vrai que la Chambre Impériale a puissance de mettre soubs le ban de l'Empire ceux qui ne veulent pas obéir à la

sentence par elle donnée, mais elle n'en vient guères là de peur de troubler le repos de l'Empire.

Les Allemands disputent de l'origine de leurs Electeurs comme nous disputons de celle de nos Pairs de France, mais la dignité de nos Pairs est bien peu de chose auprès des Electeurs de l'Empire auxquels il semble que l'Empire appartienne veu qu'ils ont puissance de le donner à qui leur plaist. Quand ils veulent eslire un Empereur ou un Roy des Romains, ils se doivent assembler à Francfort, ce qui n'a pas toutesfois esté observé en cette dernière élection.

Estans assemblez ils advisent entr' eux qui c'est qu'ils doibvent eslire.

Cela faict, ils délibérent quelles (*pro*) conditions ils luy doibvent proposer et les rédigent par escript.

Quand ils ont faicts cela, ils appellent celuy qu'ils ont délibéré, et lui proposent les conditions ou articles qu'ils ont conclu entr'eux, et luy demandent s'il veut promettre de les observer, en cas qu'on l'eslise Empereur ou Roy des Romains.

S'il dict qu'il promettra de les observer, ils procèdent à l'Élection.

Cette Journée d'Élection est propre aux Électeurs et n'y ont que faire les autres Princes de l'Empire, desquels peu se trouvèrent à celle de l'Empereur à présent régnant.

Quand à l Estat de Nuremberg, duquel vous désirez avoir plus particulière cognoissance, il y a quelqu'un qui en a faict un traicté particulier, lequel je vous envoieray si je le puis recouvrer, car il faudroit beaucoup de temps pour le descrire.

Quand au Revenu des Villes Impériales, il est fort malaisé de le scavoir, car elles le cachent le plus qu'elles peuvent.

Les imposts qu'elles mettent sur toutes choses sont si grands que le peuple ne les peut quasi plus supporter, ce qui sera cause à la fin de leur ruine.

Je prendrai pour exemple la ville d'Ausbourg que vous avez veu.

Si un Bourgeois achepte un tonneau de vin, vingt florins, il faut qu'il en paie plus de dix au Sénat. Et cependant le vin sera amené de loing et sera cette ja Gabelle en plusieurs autres lieux.

Quant au Cens qui s'y paie par les Bourgeois, j'ai entendu

par gens dignes de Foi, que le dict cens monstre qu'elle est descheüe de plus de huit millions de Florins depuis 20 ans, et cependant j'ay oui dire, il y a plus de 25 ans en Compagnie honorable, où il y avoit des Bourgeois de la dicte Ville, que vingt ans auparavant elle avoit esté deux fois plus riche qu'elle n'estoit à cette heure là.

L'on dict qu'il y a dans la ville plus de trois mil maisons à vendre ce qui montre assez le mauvais estat auquel elle est.

Aussy a-t-il 2 ans qu'il se tint à Francfort une Journée de Modération, en laquelle elle demanda d'estre déchargée des contributions qu'elle estoit contrainte de faire selon la distribution qui en est faicte en la Matricule de l'Empire, alleguans comme aussy faisoient plusieurs autres Estats que, depuis que la dicte Matricule est faicte, ils sont devenus pauvres, et d'autres qui sont peu cottisés sont devenus riches, et à cause de cela que la contribution selon la Matricule est inique.

Les grands Prests que les Bourgeois ont faict aux Rois de France et d'Espaigne, et aussy les Traffics troublés aux Païs Bas, en France et ailleurs, les ont ruiné. La ville de Nuremberg sent les mesmes incommodités, combien qu'elle ne soit pas en si mauvais estat qu'Ausbourg. Sy est-ce qu'elle n'est pas fort bien. Et s'i trouve à ce que je puisse entendre, plus de quinze ou seize cent maisons à vendre.

Monsieur,

Le jour mesme que vous partistes d'icy, il me tomba un catherre sur les yeux qui m'a tellement travaillé que j'ay esté six on sept jours sans pouvoir lire ou escrire; me sentant ce matin un peu mieux que de coustume, je me suis mis à barbouiller ce que je vous envoie, que j'ay accourci, craignant que si je différois de l'envoyer, il ne vinst à Basle après que vous en seriez parti.

Je prie à Dieu qu'il vous ait en sa Ste Garde.

Monsieur

Vre humble et obéissᵗ Serviteur
Hubert Languet.

De Baden ce 1er jour du
Mois de Juin *1579*.

Au Dos est escript :

« Lettre de M. Languet touchant les Estats d'Allemagne. »

APPENDIX II

BIBLIOTHECA SANCTAE GENOVEFAE. EPISTOLAE HAERETICORUM.
5 VOL. IN-4, TOMO III

Lettre de Daniel du Moulin ad Joannem Metellum (1), *lui racontant la mort de Languet.*

Anvers, 11 octobre 1581.

« Monsieur, vous me mandez de vous escrire le trespas de « notre amy Monsieur Languet, ce que n'ay voulu laisser « comme en passant, ne me permettantz mes affaires pour as- « teures de le faire à loisir. Quelques quatorze jours avant sa « mort, luy vint une fiebvre tierce qui n'eut que trois paroxis- « mes. Toutefois depuis il ne se porta jamais bien, mais alloit « tousjours trainant, jusques à tant qu'une fiebvre continue et « maligne le mit au lit de sa mort. Laquelle le travailla sans « relasche ny apparence de grand changement. Les Médecins, « les docteurs Joseph Michaelus et Schopperus, qui le visitè- « tèrent durant cette maladie, le firent saigner qui sembloit luy « bailler quelque soulagement qui toutefois ne dura guères. Ils « estoient aussi d'opinion qu'ils prist medecine, mais luy qui « abhorroit naturellement de cela, n'en estoit point d'advis, mais « voulut attendre le septième jour, pour voir *crisin morbi* (2). Ce- « pendant ils ne laissèrent jamais de luy donner et mesler en « ses bouillons et potages quelques décoctions pour le désal- « térer. Le sixième jour le venant voir avecques les Médecins, « et discourant de sa maladie, il parloit de prendre quelque « *Mezuacan* (1), qui estoit le remède, duquel il se servoit vo-

(1) Joannes Matalius Metellus (1520-97), vir eruditione, juris et historiae peritia clarus, qui « *Speculum Orbis Terrae* » composuerat; verisimiliter tunc Augustae Vindelicorum haerebat. Quis Daniel Molinaeus sit, non video.

(2) Haec verba vix legi posunt.

(1) Species radicis quaedam.

« lontiers en ses maladies. Mais les Médecins l'en déconseil-
« lèrent pour sa foiblesse. Le septième jour, demeurant en
« ung estat plus foible que de coustume, les Médecins tant
« pour sa disposition, poulx et urines, firent mauvais juge-
« ment, ne foisant toutefois de rien semblant devant la maladie.
« Mais luy se sentant foible, voulut scavoir d'eux l'opinion
« qu'ilz en avoient, laquelle pour ne troubler le patient, ilz
« communiquèrent à son hoste, le Sr Louys Malepart, qui l'en
« advertit par sa femme. Ces nouvelles de luy entendues, après
« quelques gémissement et souspirs à Dieu, il receut sans aul-
« tre changement, se remettant volontairement entre les mains
« de Dieu. Le lendemain, il se leva et entre en son contor, serré
« la porte sur soy, et y aiant demeuré quelque peu il sort, por-
« tant une chaîne d'or qu'il avoit en son mouschoir, et s'estant
« mis au lit, une damoiselle, avec le mary de laquelle (qui es-
« toit absent) (1) il avoit grande accointance, le venant voir, il
« luy dit qu'il pensoit que Dieu le retiroit chez soy, et que pour
« la souvenance de la bonne et estroicte amitié qu'il avoit eu
« avecques son mary, il désiroit qu'elle print ceste chaîne de
« sa main. L'après diner, moy estant venu le voir, demanday
« comment qu'il se portoit; il dit qu'il pensoit mourir, et me
« va faire un récit fort pertinent de son mal, de la diminution
« de son poulx, foiblesse et signes infaillibles de sa mort pro-
« chaine, avecques une voix si asseurée et si haulte, comme
« s'il n'eût rien eu, de sorte que je l'admonestay parler plus
« bas. Il me dit que rien plus ne le faschoit, et que son mal
« avoit perdu son sentiment. Comme une (troupe) passoit par
« la maison, menant grant bruict d'arquebuzades, il dit tout en
« riant : Voilà une belle musique pour les malades, mais tout
« cela ne me fasche de rien. Moy le voyant en ces termes, luy
« vay dire, que je ne dubtois nullement qu'il n'estoit résolu à
« ce qu'il plairoit à Dieu d'en ordonner, et que de fayct luy qui
« estoit homme d'expérience n'entendoit que la mort est bien-
« heureuse pour ceux qui meurent en une ferme espérance, et
« que la vie estoit plaine de misères, et nulle apparence d'avoir
« mieulx que la passé.

(1) Verisimiliter Mornaei Plessiaci conjux.

« Sur ces parolles, il se rasserena le visage et dit avecques « une contenance asseurée : « Ouy vrayement, je meurs volun- « tiers, et de si bon cœur que si j'alloys voir mes amys ; le « monde est remply de desloiaulté. Il n'y plus nulz princes ver- « tueux au monde ». Et sur cela il allégua trois ou quatre « exemples que respect me fait taire. Après, il entre un peu « en discours, et demande plusieurs choses, tant publiques que « particulières, tenant tousjours ses façons de faire coustu- « mières. Mesmement portoit soing de caresser les amys, come « de coustume.

« De testament, il n'y a point faict, mais avoit commandé luy « faire venir ung notaire pour le sammedi du matin, pensant « encores survivre ceste journée. Je luy offris compagnie de « nuict, ce qu'il refusa, disant qu'il n'en estoit point besoing : « aussi je n'insistois pas autrement, ne pensant point qu'il pas- « seroit si tost.

« La nuict qui est entre le vendredi et le samedy, il passa en « continuelles prières vers Dieu, jusques à tant qu'il rendit sa « bienheureuse et saincte âme à Dieu, dont il l'a eue, entre les « troix et quatre heures du matin; sans jamais tant soit peu « avoir perdu la mémoire ou la parole. Mais continua tousjours « en une mesme estre, de sorte que sa maladie servoit d'exem- « ple aulx aultres, et sa mort sembloit plus tost ung congé pris « de ses amis qu'une mort que le monde crainct tant. Il fut « enterré le dimanche le premier de ce mois l'après diner à « quatre heures, Le corps fut accompagné pour la bonne mé- « moire du defunct par tout le magistrat de la ville et ses au- « tres amys, aux Cordeliers. Voilà en somme ce que me de- « mandez. Ses mémoires et coffres ont esté incontinent tous « cachetez par commandement du Prince d'Orange, pour quel- « ques papiers d'importance, qu'il avoit eu entre ses mains.

« Monsieur Metellus, je vous eusse remis de vous escrire « par ung aultre fois, n'estoit que je craignois vous offencer, « aimant mieux vous escrire en haste une lettre de toutes « pièces, que vous esconduire une requeste. Après mes hum- « bles recommendations, je prieray Dieu le Créateur

« Monsieur, vous avoir en sa saincte et digne garde.

« Anvers, ce 11 d'octobr. A°, 1581.

« Daniel du Moulin. »

« Mortuus est, Hubertus Languetus Burgundus, vir prae-
« stantissimus, Antverpiae xxx septembr., hora inter tertiam
« et quartam, post medium noctis. Sepultus Cal. VIII [b], in tem-
« plo Franciscanorum. Anno aetatis suae LXIII »

INDEX CAPITUM

Le Puy. — Typographie Marchesson fils, boulevard Saint-Laurent, 23

